

Lactea candidolo vernantia nectare divo
Lilia, Palladium nobile cernis opus.
Agmina ſquamigerûm placidis cõplexibus hærent;
Labdacida rutilam præfer alumne facem
Scilicet hic radiat croceis Concordia pennis,
Suaveolens Clariæ germinat artis amor.
Virtutum violæ fragrant, meliphyllon odorum;
Iunctaque purpureis balſama narda roſis.





Lactea candidolo vernantia nectare divo
Lilia, Palladium nobile cernis opus.
Agmina ſquamigerûm placidis cõplexibus hærent;
Labdacide rutilam præfer alumne facem
Scilicet hic radiat croceis Concordia pennis,
Suaveolens Clariæ germinat artis amor.
Virtutum violæ fragrant, meliphyllon odorum;
Iunctaque purpureis balſama narda roſis.



ACADEMIARUM VINDICIÆ,

In quibus

Novantium præjudicia contra Academias etiam Reformatas averruncantur, earundemque Institutio recta proponitur.

Authore GUIL. DOWGLASIO S. S. Theologiæ PROFESSORE in Academia Regia Aberdonensi.

Act. 19. 9.	Καθ' ἡμέραν διαλεγόμενος [ΠΑΥΛΟΣ] ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός.
Plutarchi Lucullus.	Ἴδιον δὲ τῆς Ἀκαδημείας τότε ἀνθούσης ἔρωτα καὶ ζῆλον ἔσχεν.
Plutarch. Theseus.	Λακεδαιμόνιοι καὶ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν τῆς Ἀττικῆς χώραν τέμνοντες, τῆς Ἀκαδημείας ἀπείχοντο διὰ τὸν Ἀκάδημον.
Aristophan. in Nub.	Ἀλλ' εἰς Ἀκαδήμειαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις.
Horat. l. 2. Epist.	Atque inter sylvas Academi quærere verum.



Aberdoniæ,

Excudebat Iacobus Brunus Urbis et Acad. Typographus.

Anno Dom. M DC LIX.

Viris Clarissimis, Spectatissimis, Lectissimis, sub Christo duce merentibus:

D. *Johanni Row*, Gymnasiarchæ fidelissimo.
D. *Jacobo Sandilandio*, Juris Civilis Professori Prudentissimo;
D. *Andreæ Moro*, Medicinæ Doctori ac Professori Consultissimo;
D. *Patricio Sandilandio*, Supprimario dignissimo;
D. *Johanni Brodæo*, Literarum humaniorum Professori meritissimo.
D. *Johanni Strachano*,
D. *Andreæ Massæo*,
D. *Guiliel. Johnstono*,
Regentibus, Philosophiæ Professoribus Celeberrimis, Doctissimis.

Academiæ hujus Regiæ *Statoribus*, juventutis inibi studiolæ *Columinibus*, fratribus et Collegis, mihi perpetim colendis, *Salutem et incolumitatem perpetuantem* opto precorque.

SI mihi quærenda, vel reddenda est ratio, cur hoc quicquid est opella sub vestri nominis auspicio prodeat, cur L. M. Q. O. D. D vobis. Prima sit quod hic fætus qualis qualis sit conceptus, natus, formatus, fotus et expressus in vestra Academia: publici namque ut esset Iuris, tum ut et prodiret diffusior, forte et quam sperarem ornatior, authores mihi in tantum fuistis, ut si a literatis lectitetur, quod opinor, si a cordatis excipiatur, tui gratulabor, si in juventutis studiosæ aliquod

aliquod cedat commodum, quod auguror, totum hoc vestri est beneficii. Quos enim magis idoneos nancisci potui patronos nostris hisce vindiciis, quam quibus incolumitas et dignitas celeberrimæ hujus Acropolis Athenaicæ commissa est? Etsi enim hac λευκοτέρως a disertiore potuissent explicari, attamen ingratitudinis magnæ fuisset, nisi tam propensis vestris in me studiis, sic saltem respondere conatus fuissem, nisi hac publica professione (dicacium securus) testatam reddidissem, tum nostram symphoniam arctissimam, in eis quæ nostræ societatis collegiata sunt, (tam enim sic unimur concorditer, quam vel ulmo vitis, vel hædera robori maritatur.) Tum et quam patrocinemini studiis Academicis, isto experimento facto, ac æmulatione dignissimo, dum de vestris Acad: salariis, partem non contemnendam gratis in hanc novam surgentem Domui venerandæ superadditam structuram vovistis, dicastis annuatim usque in ipsius τελείωσιν. Quæ tam propensi animi in commoda publica τεκμήρια, vellem cum Demosthene, *non tam pennâ γράψαι, quam ære γλύπτειν. Deinde si in hoc nostro professoratu plurimi sint, qui tractatus suos doctiss. curatoribus, præfectis, facultatum professoribus, fratribusque Academicis, annon jure æquo largus ille meus in vos affectus sic effundatur? Denique si privilegia vestra antiquissima ut amplissima, ταυτῃ τῇ προσφώνησει, suasero ut intemerata servetis, sic nisi propalo, quantum parenti communi, almæ huic matri nutrici debeo. Nullus ergo erit qui jure miretur, hujus frontispicium, nominum vestrorum minio, honestari ac ornari: vos enim ordine longo decessoribus vestris sic successistis, ut jure merito sedeatis in hac publica navi, (ita loquitur* Lipsius *Ep.* 89 *Cent,* 1.) *non ut remiges ac navales socij, sed inter eos qui ad gubernacula, et ad clavum, affectu imo et effectu optimo. Quamvis enim in hoc tractu Boreali* Cyrrhâ *procul et* Permisside *Lymphâ absimus, attamen ex quo*

ad

ad Donam *salmonum piscatu nobilem*, Murtlacho *translata fuit Episcopi sedes*, hic sunt (enarrante G. Buchan. l. 1. Rer. Scot.) scholæ publicæ omnium ingenuarum artium studiis florentes. *Sed et ante eum*, H. Boetius *p. 27. vit. Epist. Aberd. refert* Iacobum Ogylvium Rectorem Kynkeldensem, Canon. Abredon. insudasse enarrationi sacrarum literarum, qui, eodem teste fuit designatus in sacra synodo œcumenica Basiliensi, quæ celebrari cœpta est, ann. dom. 1431, h. e. annis *69* antequam hoc insigne collegium latomi incœperunt ædificare. *Sed P. Bertius, Tabul. Geograph. p. 72. Paulo altius Originem repetit sic.* In Scotia sunt duæ universitates, S. Andreæ et Aberdonia, quarum hæc ab Alexandro Rege et Isabella sorore, multis ornata est privilegiis, circa ann. M. CC. XL. illa sub Iacobo Rege inaugurata, ann. M. CCCC. XI. *cui suffragatur* Iunius, *tract. de Academ.. p. ult. et S. Clerkius exempl. p. 687. astipulatur. Hoc vero Collegium vir prænobilis Wilh. Elphinstonus Epis. Aberdon. (dicit Boet.)* magnificum voluit ædificiorum ornatu et amplitudine, puta Templo polito, quadratoque lapide, vitrinis, cœlaturis, subselliis, aulæis, tapetibus, aliaque multâ pretiosâ supellectile, ex auro argentoque mira arte fabrefacta et decorata. Cui adjunctum altitudine immensa Campanile, una cum arcu lapideo ad instar Diadematis Imperialis, sub quo tredecim campanæ, jucundam voluptatem audientibus sonantes, hæc et alia plurima Wilhelmi donaria. Et ex hoc Abredonensi universali studio postea prodiere præstante disciplinâ viri, in utroque jure, Cæsario et Canonico, in Medicina, in divinis multi, et in Philosophia multi. *Etiam sub hoc axe frigido. At inter alia hoc est mihi propositum ut hoc sacerrimum Dei Opt. Max. institutum vindicem Contra Complanatores*, Dellum, Websterum,

Houm,

Houm, *Cerdones*, *ſartores*, *ſutores*, Weigelium, Corn. Agrippam, &c. *coaxantes*, *literatos omnes convitiorum plauſtris onerantes*, *evomendo in Academias etiam reformatas paradoxa*, *ſtoicis omnibus paradoxotera. At hos inverecundos Ariſtarchos alloquatur vel Ethnicus Poeta* —— λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει ἄνδρας φιλοσόφους. *Utinam hi ἄμουσοι tandem imitari vellent* Bern. *in ſua* Apol. *ad* Willer, Quis unquam audivit me adverſus eos, vel coram diſputantem vel clam ſuſurrantem? Quem de ordine illo, niſi cum gaudio vidi, niſi cum honore ſuſcepi, niſi cum reverentia allocutus? *Ego quod credo, ſatis oſtendi hos quibus ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται, niſi ἄγρας δέρειν, h. e. magno conatu nugas agere. Quos omnes aliquis feliciùs ac faciliùs multo confecerit, quàm vel leonem* Nemœum *clavà percuſſerit*, *vel* Antæum *intra ulnas compreſſerit*, *vel* Geryonem *tricipitem vicerit*, *vel* Diomedi *equos abduxerit*, *vel et aurea* Heſperidum *mala rapuerit. Sed hoc peſtiferi* Tremuliſmi *ac* Familiſmi *Ζιζανίῳ τῶν ἀνθρώπων ἀλόγων poſthabito*, *ad vos incliti hujus Lycæi Moderatores revertor*, *in quos* Gratiæ *et* Muſæ, *liberali plane manu*, *exquiſitiſſima ſua effudere munia. Sed ad quid? Nempe ut quam nacti eſtis ſpartam*, *curis ut ſoletis*, *et vigiliis elucubratioribus exornetis*, *ac pergatis indies εἰς τὸ ἀναζωπυρεῖν τὰ τοῦ θεοῦ χαρίσματα. Cui ut pares ſitis*, *fidem ſcilicet veram liberando*, *memineritis*, *quid* Deo *debetis*, *a quo tot cumulati ac provocati eſtis beneficiis*, *nempe ut magis ac magis ipſius veritas ſalutaris*, *in hac propagetur Academia: quid* Patriæ *debetis*, *nempe ut Athenæum hoc ſit vera virtutis ταμιεῖον*, *ac eruditionis omnigenæ officina*, *noſtis illud Platonis*, tum demum beatas fore Reſp. ſi aut reges Philoſopharentur, aut Philoſophi regnarent. *Quid* Eccleſiæ *debetis*, *veſtræ inquam matrici*, *nempe*, *ut per vos*, *penes ſe ſemper habeat* juge *ſidorum operariorum*

variorum in domini vineam Seminarium. quid debetis amicis ac notis, quorum filij per vos in hoc Musarum Ἀσκητηρίῳ, ad illam virtutem, pietatem, et eruditionem præformentur, absque qua, parentes nollent illos pro filiis agnoscere. Quid tandem et vobismetipsis debetis, sic inquam impendi totos, ut quo succo ac lacte Academico educati ac enutriti estis, eandem Φιλοσοργίαν vestra Ephororum curæ fideli concreditis exhibeatis; memores illius Plutarchi παιδαγωγὸς ἂν εἴη ἀγαθὸς κηροτρόφος. Hoc vos moneat Iunonis Rosa, illa Nymphæa, Lilium dico vestrum, cujus sex folia, sex ejusdem referunt proprietates, nam ut (testibus Plinio et S. Geminiano) in floribus, ipso suavius, purius, candidius, pulchrius, excelsius nihil, sic nec est fœcundius: quasi Lilieti Cantharus vester esset equus ille Trojanus, de quo prodeant, utrique Reip. togatæ et bellicæ, Deo vestraque inspectione digni qui inserviant. At procul absit animo meo, (qui mecum habito, ac norim quam sit mihi curta suppellex) hoc ut levidense munus offeram, quo vos instruam. Non ita est, nam Tyronibus non veteranis, Neophytis non Magistris parantur hæc protreptica, hæ vindiciæ; interim hoc quicquid est, vestro submitto judicio, vestro inquam acriori, quam ut cacutire possit, et synceriori quam ut adulari velit. Nam si vestro subacto et exercitatissimo comprobentur, hæc schediasmata saltem non improbentur, Iudicio. h. e. hæc nostra Apologetica, nuthetica, et protreptica, est quod sperem imo pollicear aliorum de his talibus recte sentientium suffragia æqua. Sphalmata leviora Candorem petent vestrum, et graviora limam ac censuram, agnosco. Cæterum cum nulli mortalium concedimus, ut hanc Academiam salvam et ornatissimam esse malit, hoc animi mei specimen exile, ut in bonam partem accipiatis, etiam atque etiam obtestor. Ita vobis, vestris, huic cui præfecti didascalio, omnia feliciter et ex voto contingant.

Deum

Deum namque veneror ac precor ut seminarium hoc incolume servet, tam ab Epidemicis ultimi temporis hæresibus, quam a corruptis illis moribus, sæculum qui hoc ultimum polluerunt. Sic regat ac roboret vos spiritu suo veritatis intellectus et fortitudinis, ad ea omnia fideliter præstanda, quæ sunt bonorum Ephororum ac Doctorum Academicorum; Eo studiis vestris affatim benedicat, et confestim præsit In scholarium vestrorum cordibus, vanitatis, pigritiæ ac voluptatis odium; veritatis autem, pietatis ac virtutis accendat amorem, φιλομάθειαν et legum reverentiam ipsis indulgeat; eorumque omnes honestos et sanctos conatus dirigat ad Reip. ornamentum, Ecclesiæ ædificationem, et nominis sui Gloriam. Sic vovet.

Vestri studiosissimus et ad omnia officia paratissimus,
GVIL. DOVVGLASIUS.

E Musæo meo,
Martii. 22
Χριστογονίας M DC L IX

Authori perpetim colendo, de re scholasticâ optimè merito, cujus beneficio renident nitidi Sophiæ lares, cui utiq; secundū Deum, debetur germinans et succrescens literarum laurea, cui expirabunda *Encyclopædia* et laborantia doctrinarū domicilia, *vindicias* secundum libertatem datas nunquā non agnoscent et acceptas referent; qui ἀναλφαβήτους istos et stolidæ cervicis Philonidas, *Æquatores* iniquos et contremendos *Tremulos*, reliquosque istius furfuris insensatæ naris insulsos Licinios, morbida novaturientis

entis

cerebri vertigine abreptos, et fanatico delirandi œſtro ad maniacam uſque rabiem percitos, miſella humani nominis propudia σκύβαλα, περιψήματα καὶ περικαθάρματα ſolidâ rationis clavâ ἀλεξίκακος refellit; Anteos utpote et Cacos ignivomos, ex voraginoſâ infernalis barathri abyſſo in *Palladis* perniciem prodeuntes, qui illiterati licet in literas ac literaturæ lumina et columina *Atlantas* et Athænea virulenta dicacium linguarum verbera, et male caſtigatâ laſcivientis ſtyli luxuriâ impetiginoſum ſtringere calamũ non dubitarunt, (quorum inter cætera ſæculi carcinomota, degenerante hac ſeneſcentis mundi canitie, infœliciſſima hæc ætatis ferreæ ſeries prodigiorum prodiga et efferorum monſtrorum eſt feraciſſima) Qui denique auſpicatiſſimo nominis augurio appoſitè reſpondens, ſtrenuum ſe præſtat langueſcentis eheu veritatis vindicem, et intermorientium hoc ævo muſarum, tum amæniorum tum ſeveriorum Hyperaſpiſten acerrimum.

Προπεμπτικὸν ἐπαινετικόν

O Nimium dilecte ſacris venerande puellis,
 Deliciæ *Charitum, Theſpiadumque* decus!
Myſtica *Cecropiæ* reſerans penetralia divæ,
 Pectora mellifluo flumine docta rigas.
Pura ſerit calamus divino nectare tinctus
 Dogmata, ſcripta nitent pumice terſa levi,
Facta probum, calamus doctum, tua lingua diſertum
 Comprobat, hæc ratio pagina ſancta regit.
Malleus Hæreſion contundis ſemina, monſtra:
 Dira nec Hydrigenûm putida lerna viget.
Proteus hanc vario vim ſenſit *Loyola* vultu,
 Quique Deo renuit pangere voce melos.

Charus

Ἐγκωμιαστικόν.

Charus ab instanti Musis, Musæa ruinâ
Asseris; en limæ cerno recentis opus.
Squalida *Castalidum* tetra rubigine tecta
Restituis, *Clario* limina sacra novas.
Barbariem formata tibi generosa juventus
Ponit, culta, nitens, quæ fuit ante rudis.
O fortunatas te nato Præside *Musas*!
O fortunatos *Pieridumque* lares!
Regia te memorans Academia celsa triumphet,
Te juvat hujus honos, hanc tuus ornat honos.
Exultent μακάρες communi nomine Nymphæ,
Quot *Dea* pura colit, quot vaga *Dona* deas.
Perge decus patriæ, divinæ *Palladis* arces
Condere, celsa sacri, gloria summa chori.
Sterne *MERETRICIS* titubantia mœnia, mundi
Dedecus, ἑπτάλοφος *Roma* superba ruat,
URBS scelerata suis dudum celebrata ruinis
Concidat, *Ansonium* confice voce *Iovem*.
Ad veros variæ titulos præconia laudis,
Quem premis insistens tramite carpe viam,
Ascanidis Wilhelme, *Titus*, *Galiazo* latinis,
(*Vt quadrant rebus nomina sæpe suis!*)
Tu *Cyrrham*, *Cytherona* tegis, tu culmina *Bindi*,
Pimplæi nemoris strenuus *Hector* amans.
Lustrica læta dies, niveoque notanda lapillo,
Hoc tibi qua faustum nomen in Orbe datum.
Mœsta sed atra dies piceo carbone notanda
Olim qua rapiet te *Libitina* ferox.
Quin mage lanificas flectant pia vota sorores
Simplicitas, animi pignora rara, fides
Fulgeat O radians valida rediviva nitore
Utraque *Calliope*, culta polita, manu!

Nomen in astra ferent modulis memorando *Camœnæ*
Quas *Heliconis* apex, quasque *Sionis* habet.
Est *Musis* materna piis, genuina sororum,
Mutua cura tui, mutua cura tibi.

Ἐυκτικὸν Εὐλογητικόν.

Χαῖρε μυσάων γενετὴρ πρωτος
Τῶν Διόσημερων γόνος ἐυσύνεργος
Χαῖρε, μυσάων ζάθεων βοηθὸς
Πιερίηθεν.
Ψυχικὸν βίβλων διδαχῆς ταμεῖον
Ὀψὲ γηράσκων μεγάλυ Θεοῖο
Νηνεχὴς μάρτυρ λάβοις βραβεῖον
Ἄφθιτον αἰῶν.

דלית וסנף

טול שלום מושגרת
לך בית חמדרש בנרת
עבר קרית חספרים
ובני סבין הנביאים

In tuas laudes volitans Palæo- — *Delius ales,*
Abredonensi modulante Musâ — *Nudus, at udo*
Albus ad ripam volucer Caystri — *Sudus in herba.*
Concinnavi & concinui

ILLE EGO MITIS MUSARUM CIGNUS
Quem verrucosa moratur
Antiopa



ORATIO

Partim Apologetica pro Academiis, partim Protreptica et Nuthetica, ad rectam Studiorum Institutionem, tum et eorundem usum.

Recitata fuit in Auditorio Theologico Collegii Regii Universitatis *Abredonensis*, Novemb. XIX. χριςογενίας Anno M. DC. LVIII.

UTinam ea jam esset temporum hominumque conditio, quâ Encomiis Panegyricis et gratulationib', hoc est, ut illico petatur lapidicina, dolentur saxa, struatur ara, offerantur holocausta, in luculentissimū Εὐχαριςίας τεμέμον: potius quam Apologeticis, vel Protrepticis, vel Theoreticis absolvi possent orationes Initiales Professoriae? Sed cum nunc, ut in foece *Romuli* vivitur, non tam Academiarum Epaeneticis debitis, quam earundem vindiciis justis insudandum sit; Itaque hac bigâ invehatur haec nostra praeliminaris. Ut primùm, Institutionis hujus divinae asserenda sit tum Utilitas, Antiquitas et Diuturnitas, tum et aemulorum ac invidorum, uti par est, praejudiciis obviam eundum est, idque Apologeticè: deinde quomodo Academiae ac Academici cum instituendi sint; tum et rectificandi Protrepticè enodabimus.

 Quod

Quod primum attinet, ut a vocis Originatione ordiar, sive sit a viro laudato, reditibus eam locupletante: sive ab eo quod sit populi medela eaque publica, nobis existimandum est, quod, quot sunt Collegia Academica rite ordinata, tot esse virtutis et eruditionis Seminaria, quot trium facultatum Cathedræ, tot veritatis divinæ Propugnacula, quot Oratoria pia, tot veritatis divinæ Officinæ, ac quot fere Musæa, totidem incudes bonæ mentis. Hinc recte nuncupantur etiam, *Asceteria*, *Phrontisteria*, *Didascalia*, *Gymnasia*, *Pædagogia*, *Hermæa*, *Euebeteria* et *Heraclea*. Libanus enim est Academia, unde silva cædua petenda est ad ædificandum CHRISTI Ecclesiam; *salina* est, unde sal effodiendus in Reipub. usus. *Pharetra* domini unde sagittæ depromendæ sunt ad bella domini peragenda. Annon Academiæ causæ suæ optimæ patrocinantes dicant, conatæ sumus ut intervallo ingenti disterminemini a Barbaris et Feris? ut virtuti innatæ eruditio nostra, rudimenta præstet et incunabula, quibus innutrita grandescat? Annon vos, avos, liberosque vestros ad animi cultum morumque probitatem efformavimus? Effecimus namque ne in templis deessent Theologi, ne in foris Iurisperiti, ne in oppidis Medici, nec in exercitu viri docti et fortes, neutiquam per nostra literarum studia emasculandi vel a nobis redditi gloriæ ullius sive togatæ sive bellicæ incapaces. Ad quod ponite vobis ante oculos *Mosen* Israelitici populi ducem longe celeberrimum in omni tamen tum Hebræorum sapientia, tum Ægyptiorum literatura instructissimum. Ponite *Catonem* illum, cujus hoc erat elogium, (optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperator.) Ponite *Maccabæos* utrâque gloriâ pariter insignes. Ponite *Julium*, qui librum ostentans et gladium, se in utroque Cæsarem esse gloriabatur, ac denique *Alphonsum* Arragoniæ regem prudentissimum, qui, cum Aulici quererentur eum nimis studiis deditum esse, respondit, *mallem me regno exclusum quam Musæo*. Quid enim est vita humana sine literis? quid, nisi pecudum stabulum ac ferarum lustrum? fax Promethei accensa effecit ne simus de fœce vilium. Nam si literas conferas cum agricultura, gymnastica, graphica, emporetica, statuaria, quæ nisi *Bioticà* ministrant, quam infra longe subsident? ad omnia namque et singula bona procuranda, aiebat *Thales Milesius*, nulla via facilior est, expeditior vel honestior literarum studio; quibus sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius, sive oblectationem,

tionem, nihil est suavius ac jucundius, sive splendorem ac pulchritudinem nihil illustrius, aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Quæ singula optimè possent explicari et exornari, si in hac Corona, incidissent in Interpretem me disertiorem. Attamen cum ut ait ille, facillimum sit *Apollinem* ubiq; laudare et *Athenienses Athenis*, hoc supersedeo labore. Hoc unū hic nisi præmoneo, nihil causæ esse cur mirētur æqui rerū æstimatores, si viri fœminæq; Principes, una cum aliis benefactoribus, (in quorū egregia munificentia summa relucet Dei bonitas,) non modo linguarum et scientiarum humanarum et divinarum professoribus honesta salaria, (sed et Collegiorum quæ ipsi vel fundarunt vel auxerunt) præfectis, sociis et scholaribus alimenta suppeditarunt. Ut dicant musæ, nos illi stipendiis et prædiis locupletarunt, ne indotatæ negligeremur, et in bene natis ingeniis discendi cupido, imo et docendi intepesceret vel obsordesceret. Optime reposuit *Leo Imp.* Eunucho obmurmuranti (notante Lipsio in Exemp. Pol.) *utinam meis eveniat temporibus, ut stipendia militum in doctores artium conferantur.* Recte notat *P. Cunæus* l. 2. c. 16. de Repub. Heb. quod quamdiu fuit scholis liberaliter provisum, nec fuissent præcisione injusta devirginatæ Prophetarum scholæ, vel sic stuprum passæ, tamdiu nunquam est in sectas itum, nec versas fuisse in Curiosorum ingeniorum lupanaria.

Ast hoc prætermisso, Cum Musarum lac nullibi bibatur salubrius quā in suis Musæis; literarum splendor non nisi in suis cernatur Athanæis, nec possit alicubi melius ingeniorum prospici culturæ, vel profectui consuli, quam in publicis gymnasiis, ubi ad doctrinæ sterperastra, disciplinæ frænum, æmulationisque calcaria solent accedere: Ideo paulo altius res repetenda videtur, ac ut summa sequar fastigia rerum attinentium literarum et Academiarum Originem ac Perennitatem. Primo in Historia nihil est clarius *Mosen*, primùm dedisse Iudæis literas, *Mercurium* Ægyptiis, *Cadmū* Phænicibus, *Palamedem* Græcis, et *Carmentem* Latinis finitimisque, sicuti contestantur *Eusebius, Plinius* et *Manilius* sic canens. *In Latium spretis academia migrat Athenis.* Hinc enatæ sunt apud omnes gentes quas non obruisset barbaries scholæ illustres. Profanæ namque gentes hoc viderunt, nihil ad religionem et politiam instituendam et conservandam conducibilius esse, quam ut in scholis sint viri docti et probi, juven-

tutem qui informent et reforment, olim dicti Hierophantæ et Mystæ et Pontifices. Habuit olim *Persia forum liberale*, (referente Brissonio) *Indi* Gymnosophistas, *Chaldæi* Magos, *Ægyptii* Sacerdotes, *Galli* Druidas, *Romani* Rhetores, *Britanni* Bardos, *Æthiopes* Brachmanes, *Latini* Augures, denique *Judæi* Pharisæos, Sadducæos, Essenos. Sed in Academiis κατ' ἐξοχὴν erant ἑλλάδος ἑλλὰς 'Αθῆναι, in quibus cernes primò *Scholam Ionicam*, in qua præ aliis floruerunt *Thales, Anaximander Anaxagoras* &c. 2. *Pythagoricam*, in qua *Parmenides, Pittacus*, alii 3. *Socratica*, in qua *Aristippus, Antisthenes, Phædo*, &c. 4. *Platonica*, in qua *Speusippus, Zenocrates, Aristarchus*, &c. 5. Peripatetica, in qua, *Aristoteles, Theophrastus, Strato*, &c. 6. *Cynica*, in qua *Diogenes, Antisthenes, Crates*, &c. 7. *Cyrenaica*, in qua *Aristippus, Antipater, Theodorus Atheos*, &c. 8. *Eliaca*, in qua *Anaxarchus Pyrrho, Herodotus*,. 9. *Megarica* in qua *Euclides, Clitomachus, Eubulides*, &c. Sed hisce omnibus palmam præripuere *Peripatus, Stoa, Academia*, nam primò *Aristotelis* τοῦ δαιμονίου Lycæum produxit peripateticos subtilissimos, *Platonis* τοῦ θείου Academia, philosophos gravissimos, Zenonis vero τοῦ θαυμασίου dicti Stoa, politissimos viros, et in omni artium genere clarissimos. Hic etiam, uti ferunt, *Amphion* saxa Cytharæ movet cantu. *Æsculapius* Medicorum Princeps, mirè curat. *Linus* longa serie poetarum transmisit præstantissimos. Singulos quis numeret, nam dies deficeret! Sed ante has omnes Patriarcharum perpendite scholas, quorum privatæ ac domesticæ cœperunt anno mundi 30, quo natus *Abel* perhibetur, traduntque observatas in Familia *Sethi* usque ad diluvium, in quibus in primis floruere Theologia et Astrologia. His exactis instituit postea *Semus* scholam privatam tum dictã Hebræorum: quæ in Ægyptum postea translata per *Josephum*, varias peperit colonias, inter quas et illa fuit, quam *Moses* auspiciis filiæ *Pharaonis* frequentat. Has priores subsecutæ sunt καλῶν παίδων Leviticæ, Republicâ Israeliticâ constitutâ per *Mosen* et *Aaronem*; quibus sub Iudicibus conservatis, tum et regibus, locus etiam in Captivitate Babylonica est repertus. Post Captivitatem vero ab *Esdra, Zorobabele, Nehemia*, et continuatæ sunt usque ad *Hierosolymæ* excidium. In hisce scholis Theologicis ac Iuridicis explicata fuit lex *Mosis*, hisce præerant *Samuel, Elisæus, Elias*, et alii indubie quisque suo tempore.

 Academiarum

Academiarum urbes præcipuæ erant *Najoth, Rama, Siloh, Jericho, Gilgal, Bethel, Kiriath-Sepher* ac tum quamvis aliæ erant urbes celebres et in eis scholæ putà Pharisæorum, Sadducæorum et Essenorum, attamen cum, adveniente domino mirè corruptæ videantur, vix est ut id mereantur nominis. Postea Dominus Iesus instituit scholam τῶν μαθητῶν sanctissimam et perfectissimam, in qua erant Apostoli xij. et sic κατ' ἐξοχὴν dicti discipuli 70, cui Collegio multi religiosi verè conversi sese aggregantes, una cum Apostolis mutarunt Academias Ethnicas et Synagogas Iudaicas in scholas Christianas: et qui in his rectores non solum semet opposuerunt scholis sectisque Cyrenæorum, Libertinorum et Alexandrinorum, (uti constat *Act.* 6.) Sed et varias novas instituerunt, (quod manifestum facit Historia Ecclesiastica.) *Anteochenam præsertim et Alexandrinam*. Quarum hæc posterior rectè dicta totius literaturæ in universo orbe maximum Emporium. Cùm nihil hic defuerit quod vel studiosos alliceret, vel allectos detineret, vel detentos aptaret ad disciplinarum omnium consequendum apicem: cùm præter soli fertilitatem summam, cœli serenitatem quotidianam, stationisque commoditatem velificantibus, hic triplex olim erat Collegium, *Musæum, Serapium*, et *Isæum*. In quibus mathemata floruere omnia. Hic *Ptolomæus* suum congessit *Almagestum*. (ille inquam dictis Astronomorum Atlas.) Hinc postea prodiere Cycli Paschales receptissimi, quos ab hujus calculo cæteræ omnes Ecclesiæ expectabant, habebant. Hic *Adrianus* Imp. publicè cum Sophistis disputavit: hic natus et educatus *Apollos*, Act. 18. 24. Cumque esset locus Evangelio propagando peropportunus, ideo est quod *Eusebius, Hieronymus, Middendorpius, Hospinianus*, et *Alstedius* referant concorditer, *Marcum* Evangelistam cœtus et agmina philosophantium, lectionibus, disputationibus et interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium coegisse in celeberrima urbe Alexandriâ. Adeo ut hinc, decurrentibus seculis, tanquam ex equo Trojano, innumerabiles prodierint Theologi, præclaram qui navarint operam in Dei vinea tam occidentali quam orientali. Et in eis primipili erant *Pantænus, Clemens, Trypho, Origenes, Heraclas, Dionysius, Anatolius, Athanasius, Didymus, Athenodorus, Ambrosius, Alexander, Maximus &c*; doctores celeberrimi omnes, et primæ magnitudinis astra, vulgo tum dicti Catechistæ et diatribistæ, et qui postea reli-

quis omnibus palmam præripuit *Cyrillus Alexandrinus*. Apostolorum autem successores proximi, viri vere Apostolici (intelligo *Ignatium, Polycarpum, Polycraten, Melitonem, Theophilum* &c.) plurimas scholas in Palestina, Nicomedia, Laodicea, Cæsarea &c. plantarunt. Nicomediensis inclaruit *Lactantio*, Cæsarea *Origine*, *Laodicea Epiphanio*, in Romana *Just. Martyr* suas habuit diatribas. *Basilius* in Oriente, *Augustinus* in Meridie florentissimas in Monachorum Monasteriis erexerunt scholas, in quibus maximus concursus fuit tum et docentium tum et discentium. Quid enim olim erant illa Cænobia quam studiosorum scholæ et Theologorum Collegia? qualia & in V. T. fuerant Nazaræorum, Levitarum & Prophetarum. Hoc & testantur Canonicorum bibliothecæ amplissimæ multisque libris refertissimæ. Postea vero Imperatores & Principes Christiani per universum Imperium Romanum in urbibus celebrioribus Academias quam plurimas vel aperuerunt vel repararunt, quas futuras præsciebant egregia Reipub. & Ecclesiæ Seminaria. Ab illis sunt *Neapolitana, Romana, Constantinopolitana, Panormitana, Treviensis, Augustodunensis, Mediolanensis, & Bononiensis* instituta auspiciis Theod. 2. dicta tum omnium scientiarum fons. Codices Iuris Civilis & Canonici pleni sunt testimoniorum, quam diligentes fuerint Principes Christiani in scholis constituendis, quamque liberales in professorum & studiosorum collegia ; Quantæ denique illis curæ fuerit, ut Cives non solum pacificè & commodè viverent, verum etiam ut in bonis literis, virtutibus ac pietate accuratissime erudirentur. Notissimæ sunt *Justiniani, Theodosii* utriusque & *Gratiani* Impp. sanctiones de studiis liberalibus profitendis. Sed proh dolor! Dum tantæ humani generis felicitati *Satanas* invidet, primo per *Julianum Apostatam* hominem versipellem & subdolum, has Christianorum scholas claudi præcipit, ut ignorantiâ et insciriâ impediti, Philosophorum argutiis & ineptiis minus resistere possent. Deinde quando *Gothi* et *Vandali, Hunni & Franci, Alemanni & Longobardi* gentes rudes ac impiæ, præclaras quasque beneque cultas nationes & urbes ferro flammâque vastarent, quando inquam, persecutio plusquam *Liciniana* foris, *Libethria* intus plateas invasit omnes, quando foris perflans *Cæcias*, intus *ἀσωτευόμενα* hominum sobolescens intemperies, quando insanus quidam *Euripus* omnia turbat, quando id unum satagebant hi male feriati, ut homines ad Dei Imaginē facti in brutas transfor-

marentur

matentur pecudes, quando denique præ temporis injuriâ & hominum incuriâ humanitatem expulit inhumanitas. Tum in solitudinem summam redactæ sunt Academiæ, tum dissipatæ omnes pene occidentis scholæ, tum periit *Atticus* Lepos omnis, tum negligebantur, proscindebantur & diræ inopiæ baculo passim vapulabant Musæ, tum subingruens vis, interiora omnia Musarum pectora fenestravit, tum indies magis magisque infirmabantur elumbes, tum exangues animam agebant quasi essent ipsa projecta fœx insipida, tum arsere passim instructissimæ bibliothecæ, tum discerpti authores optimi, conculcatæ sunt linguæ, liberales artes ac scientiæ spretæ omnes. Dicebant tum φιλομύσοι, in quæ tam amara & inhumana, bone Deus nos reservasti tempora! Quis non indolescat tantæ malorum *Iliadi*? Academias intermorientes non lugeat? Quis non Deum opt. max. studiorum nostrorum authorem ducem, arbitrum castè tum adeat, incunctanter interpellat, ut temporum miserrimorum & funestissimorum misertus, mutantes Academias statuminet, collapsas erigat, omnes vindicet a Satanæ his fraudibus, barbarorum impressionibus, & hypocritarum Cuniculis? Nam tunc pro cognitione, turpissima rerum omnium ignoratio; pro syncero Dei cultu, anilis superstitio; pro dicendi facultate, stupida infantia; pro consilii copia, mentis & judicii inopia; pro exculta morum elegantia, agrestis & inamœna rusticitas, pro mansuetudine & humanitate barbara quædam feritas in vitam hominum invadit. Ast & tum per Dei Gratiam, *Carolus M.* & pii successores, his Marpesiis Cantibus exuperatis, præcordiisque Scythicis hisce Adamante durioribus eviscerati ac dissipatis, Monasticas sodalitates pie ac prudenter convertit in scholas liberales, in quibus tum pueri tum & adultiores erudirentur, ut sic tandem præfici possent Reip. & Ecclesiæ. Tum cernere erat aurea renata sæcula. Tum, ut fit, post nubila phœbus. Nam pientissimus hic Imperator, (uti referunt illorum temporum, nobilissimi historicorum) *Bononiensem* collapsam instauravit, Cathedras & suggesta publica reparavit, ipsamque privilegiis novis exornavit. *Parisinam* fundavit, ascitis in rei tantæ consilium *Alcuino, Columbano, Claudio Rabano, Iohanne Mailrossio, Scotis* doctissimis utpote *Bedæ* discipulis. Hic idem *Patavinam, Papiensem, Tholosanam, Bituricensem, Aurelianensem, Andegavensem, Osnaburgensem, Hailbrunensem*, tum & *Fuldensem* fundavit, hanc ab omnibus tum temporis

poris judicatam eruditionis penu, propter lucem ei partam & allatam a *Rabano Mauro*: Cujus pia posteritas haud degener vel inferiora sequuta, fundarunt ac dotarunt *Sorbonam, Rhemensem, Pictaviensem, Rotomagensem, Burdegalensem, Turonensem, Cadomensem, Lugdunensem*, variasque alias. Sed & horum temporum tranquillam felicitatem exceperunt aliqua luctuosissima, dum, uti vocant, trium classium sive ætatum, primæ, mediæ ultimæ DD. scholastici fœdant conspurcantque omnes S. Scripturarum fontes limpidissimos, suis *Sententiariis, Quodlibetariis, Decretalibus, Clementinis, Extravagantib⁹, Devotionalibus, Promptuariis, Marialibus, Legendis, Speculis, Postillis Dominicalibus*; & quibus non hujus furfuris! in his pene verbi divini vel orthodoxiæ veterum Patrum ne vel γρῦ quisquam sit inventurus. & quamvis horum Coryphæi spetiosis ac magnificis insigniantur titulis *Magistri, Gratiani, Comestoris*, hosque κατὰ πόδας insequuti sint dicti *Irrefragabiles, Angelici, Subtiles, Solennes, Seraphici*, attamen horum næniis, quisquiliis ac teretismatis, mirùm obscurata fuit aurea primitivæ ecclesiæ facies, Dei Sacræ Scripturæ extinctæ ac tantum non sepultæ, in tantum ut tenebræ horribiles, perniciosæ, plusquam Cymmeriæ in scholis & Ecclesiis exortæ, universum orbem christianum, occidentem saltem, annis plus minus quingentis in nocentissimis detinuerint erroribus. Iam si in tanti mali Academici, & morbi tum Epidemici causas inquiramus, merito familiam ducat Scripturarum neglectus, dum in Scholis *Paulus* cessit *Platoni, Petrus, Aristoteli.* O quam intonuisset in eos *Tertullianus*, vir ille dicendi fulmine singularis & grandiloquentiæ, si nempe Nestorii anni ipsum ad Scholasticorum sæcula puta xi. xii. xiii. xiv. perduxissent! Quid (inquit ille in præscript.) *Athenis & Hierosolymis, quid Academiæ Stoicæ & Platonicæ cum Ecclesia?*) Deinde in eis prodigiosum altercandi & rixandi studium, seu diabolica litigandi ars. Audias vel unum *G. Goodwin.* in suo Poematio de hac re sic ludentem.

In quemvis cuivis mos est effundere quidvis,
Sic Cadmæa Cadunt agmina Marte suo.
dogma vetus Iugulat dogmate quisque novo, &c.

Tertiò, verborum portentiloquia, vocabulorumque monstra ipso pene formidanda sono, qualia sunt *modalitates, formalitates, Hecceitas, Homogeneitas, suppositalitas, Ecclipsibilitates, futuritiones* &c. infrunita quæ tamen non adeo deberent delicatis auribus ac ingeniis ludi-

brium

brium, si modo mentem ullatenus instruerent. Quartis fuit ea, quæ etiam variorum errorum mater extitit; Crassa nempe linguarum originalium ignorantia, tum enim (teste *Espencæo* in 2. Tim. 3. digr. 17.) *græcè nosse suspectum erat, hebraicè propè hæreticum*. Insuper addas istorum hominum, quod mores attinet improbitatem, quæ sæculo xiv. tam immanè scelerata fuerat, ut in dirum abierit proverbium, (*qui Theologum Scholasticum videt, is videt septem peccata mortalia.*) Denique agmen claudat turpis Philosophiæ abusus, ad cujus normam postquam exigi cœperunt res fidei, nil ferè sani relictum est in toto systemate Christianæ religionis. Sed ne quis me studio partium in hoc abreptum clamitet, alios me multo facundiores si placet attendite. *Gerard. L. C. de Eccl. Scholastici Philosophorum placita in scholam Theologicam recipientes, ex duobus per se bonis unum fecere pessimum, ex duobus integris unum corruptum. Tilen. Syntagm. II. d. 16. A Scholasticis ejecto Platone, Aristoteles in prophetarum et Apostolorum consessum cooptatus, ipsi propemodum Christo Controversiam movit, præsertim, in doctrina* περὶ τῶ ἐνδεχομένω καὶ ἀνἐξουσίω. *Raynold. Coll. cum Harto c. 3. d. 3. illotis pedibus Sanctuarium domini ingressi sunt, et Philosophiâ Theologiam polluerunt, naturali rationis lumini multo quam decuit addictiores.* At jam enarremus Dei misericordias, qui in tanto rei sacræ dispendio, simul et literarum deliquio summo, misertus Ecclesiæ suæ excitavit *Lutherum, Zuinglium, Melancthonem, Oecolampadium*, aliosque religionis repurgandæ, imo utriusque literaturæ administros fidelissimos, hyperaspistas clarissimos, Athletasque Christi fortissimos, ad recidendum ea quæ dixi carcinomata, ne pars syncera trahatur, qui nervos omnes ingenii contenderunt labantes ut Academias confirmarent, earumque instrumenta, ornamenta, adjumenta, commoda, disciplinas, facultates, honores, pro eo ac possent, promoverent strenuè. Unde factum ut in scholis reformatis, alia longe multoque pulchrior rerum extiterit et enituerit facies, quam quæ prius in pontificiorum lacunis ullatenus posset. Nam sub hoc relucentis Evangelii initium Christiani principes veræ religioni et Reip. Christianæ consultum volentes, bonarum literarum studia, imprimisque puram et synceram Theologiam ex isto diurno squalore, ac rubiginoso situ vindicarunt, et vel veteres scholas sibimet subditas reformarunt, vel novas aperuerunt; in quibus, suæ substernuntur βάσεις, professionibus

clarissimis subministrantur præcepta, constabiliuntur principia, subjiciuntur ὑποτυπώσεις, præscribuntur limites, quos transgredi vel tantillum violare piaculum: professorum quin etiam incolumitati et emolumento summopere invigilatur. Et cum opus heroicum sit ipsorum charitatis in proximum, et pietatis in Deum monumentum ære perennius: Paucis ac nisi nominatim (longa est series) horum benefactorum repetamus scholas et Academias reformatas, quas *Rivetus* recte vocat (licet secundum magis et minus) Orthodoxiæ sactaria. *In superiori Germania, si paulo sis veritati addictior florentes cum gaudio cernes Marpurgensem, Heidelbergensem, Herbornensem, Altorfianam, Neostadianam, Argentoratensem, Wittebergensem, Herbipolensem, Francofordiensem, Misniensem, Jenensem, Rostochiensem, Grypswaldensem, Tubingensem, Statinensem, Lipsensem, Bremensem, Lubicensem, Embdanam. &c. Apud Helvetios Basiliensem, Lausannensem, Tigurinam, quibus insuper addas Genevensem. Apud Belgas Reformatos Leydensem, Ultrajectinam, Groninganam, Franequeranam, Harderwicianam, Bredensem, aliasque illustres scholas ut Amstelodamensem, Mediobnrgensem &c. In Dania et Suecia Hafniensem et Upsaliensem. In Borussia, Regiomontanam, Elbingensem, Dantiscanam. Apud Gallos Reformatos Rupellanam, Sedanensem, Salmuriensem, Nemitensem, Montis-pessulanam, Neracensem, Diensem et Orthesianam in Navarra. In Anglia Oxonium et Cantabrigia* gemellæ sorores uterinæ, ut *Lea* et *Rachel*, quæ domum Israelis extruxere, quæque ibi audiunt Ecclesiæ et Reip. tum ornamenta, tum et fulcra, non minus quam Templi *Solomonis* Columnæ duæ, Iachin et Boaz. In nostra Scotia *S. Andreanam, Aberdonensem, Glasguensem et Edinburgensem; de quibus D. Baudius musæ nunquam delicatius se habent quam cum in Scoticas inciderint.* Illas omnes si cum modernis pontificiis conferas, dicas has cum *Beza, Flabella Satanæ*, et cum *Luthero, cathedras pestilentiæ, Synagogas Satanæ, Abyssique puteos*, quorum fimo obscuratur Sol Evangelii. Quæ (ut recte notat Whitakerus) *plus habent argutiarum quam scientiæ, plus scientiæ quam doctrinæ, plus doctrinæ quam usus, plus usus quam ad salutem.*

Sed in hac nostra Apologetica, hoc adhuc superest pensi. Ut præjudicia, suppositaque Scholarum incommoda et gravamina de medio tollantur ac averruncentur, idque sine fuco et felle. In quo accurando utut vires fortè defuerint, præsto tamē erit conatus. Paucis

tamen,

tamen ne tædio sim, est res expedienda. Hôc prius præmonitô, literaturæ et Academiarum præcipuos nunc hostes esse *Weigelianos, Quærentes, Trementes, Antinomos* aliosque *Fanaticos*, inter quos numeres *Dellum, Hobsum et Websterum in suo Academiarum Examine*. Ad quos sanandos opus esset *Hellebori*, quantum vix decem suppeditarent *Anticyræ*. Primo sic insiunt, quam immania jurgia et inania litigia sota succrescunt indies in scholis vestris etiam Theologicis? Sed facile retorserim, mortalium neminem esse omnibus qui præcaveat incommodis. Quantum verò Certamina ἐκ φιλαυτίας profecta, tum rectoribus, tum et Academiarum alumnis displiceant, vel ex horum duorum præstantissimorum virorum votis, dictis, quærelis percipiatis. *Lutheri* votum a *D. Pareo* sæpius usurpatum hoc fuit. *a doctore glorioso, pastore contentioso, et inutilibus quæstionibus liberet Deus tum scholas, tum et Ecclesiam suam. Melanchton*, (*in quo concertabant pietas, doctrina, candor*) *ait, Cupio ex hac vita migrare duas ob causas, prior ut fruar desiderato aspectu filii Dei, et cœlestis Ecclesiæ, deinde ut liberer ab immanibus odiis et implacabilibus dissidiis Theologorum.* Amabant namque οἱ εἰρηνοποιοὶ, simplicitatem Evangelii magis quam curiositatem problematum, magis credere quam quærere, salutem quam garrulitatem; Vos vel ex his discite nostros modestos et moderatos, non detentos studiis partium, in quorum imus proni sententiam. Deinde, agganiunt ac indignãtur quod ita sit scholis provisum, ut eis sint census, reditus, fundi. Certe ego facile crediderim hanc fundi nostri esse calamitatem, quod ita prospectum sit Academiis, ut nobis sint fundi. absque reditibus si fuisset, facilius nobiscum redirent in gratiam isti ἀμούσικοὶ γραμματομάστιγες. nummus istis viris bonis pro hæresi est, peculium est, si docentur Academiæ. Quid hoc aliud est quam ipsos Scholarum incidere nervos? Ego assero audacter quod nullibi vilior sit bonarum artium ac literarum æstimatio, quam ubi post emolumenta per longi temporis curriculum studiosis exhibita, census ex improviso subducitur. *Junius* c. 4. de Acad. de Philistæis utut populo Dei infestissimis hostibus ait, quod quando rerum in Iudæa potiebantur, nunquam eos infestasse prophetarum Asceteria, ipsorum vel functionibus, reditibus vel honoribus quidpiam ademisse. Audite et alium Doctiss. *D. Wilkins.* in conc. ad Clerum. *Qui prophetarum officinas pessundatas voluerunt, et literatorum patrimonia venundata,*

nec sibi nec posteris prospicientes, abysso Crassissimæ ignorantiæ aditum patifacientes apertissimum. μὴ γένοιτο! *utinam nunquam exciccentur hi fontes redituum, sed puriores inde latices indies emanent Civitatem Dei refocillaturi!* Num satis æquum ut nullius Criminis rei bonis suis, hic, didactro Minervali, brabeo, (quod quidam volunt) exuentur, ac si gravissime deliquissent? Tantum vilipendium literatorum nunquam est sine literarum bonarum dispendio summo. Quid iniquius quam ut benefactores optimè meriti donorum suorum oblivione mulctentur? depeculatis ac deplumatis misellis artium et scientiarum professoribus, at hoc prorsus fit. An quæ bona, sive mobilia, sive ut loquuntur immobilia collata sunt bene merentibus, ab aliquot retro seculis et lustris et ab hominib' qui erant *moribus Antiquis*, h.e. piis honestis et liberali ingenio, an inquam ista latifundia nunc sunt diminuenda vel removenda, maxime cum jam per ditiones pontificias surgunt Collegia Iesuitarum, quibus abunde suppetere solent Lenocinia ad Iuvenes nostros, siquando præ inopia frangantur animo, quá præceptis qua præmiis in Castra sua pertrahendos?

Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridæ.

O quam esset e re literaria, si, qui possent succurrerent inopiæ, ac subvenirent necessitati eorum qui scholis præsunt trivialibus, προπαιδεύουσιν qui instituunt. De quo non-nemo egregie sic perorat. *Si ulterioris exhilarationis ergo, aliqualem divites portiunculam ex superabundante proventuum redituumque promo-condo et liberalitatis Gazophylacio quâ isti Scholarchæ commodius vivant et vigeant, seponerent: amodo in Philosophando, ex illo esset, summa dexteritas, in profitendo summa prosperitas, amodo qui cum maxime conspicuis Philosophis punctim per omnia congrederentur. Inde Chyrurgus quo exactius anatomiset, inde medicus quo corpus humanum fœlicius introspiciat, inde Alchimista, quo lapidem Philosophicum facilius acquirat, inde juris utriusque peritus quo rite Syllogizando, pro rostris fortius agat, inde et ipse Theologus, quo Heterodoxorum insidiis et sophismatis cautius occurrat, ac (ut verbo) unà omnis efflorescceret literatura, clarissimis remuneratæ rei elementariæ radiis collustrata.* Tertio, quid hisce in ore, ipsâ pene salivâ frequentius quam quærimonia de nostratium Alumnorum moribus malis? Ego ultro fateor erupisse aliquoties malæ frugis adolescentes, Academiarum Vomicas et Carcinomata, at de Universorum genio minime ferenda est sententia ex paucorum intemperie. Quid iniquius quam

ut

ut ignavorum et pravorum indoles fiat decempeda, qua metiamur reliquorum omnium ingenia? Cum jam vivatur non in Rep. *Platonis* sed in fœce *Romuli*, num est seges absque aristis? Num ullum malum Punicum absque granis putridis? Num ullus cœtus mortalium sine vitiis? E tot ollis ferventibus, vix est, quin aliquid ebulliat spumæ, in tam magno corpore, quin aliquando pus aut ulcus aut aliquid simile exoriatur. Quid quod hic morbus plerumque sit hæreditarius, nec collegiis imputandus, qui nobis impingitur, sed parentibus qui filios suos huc amandant ad capescendum ingenii cultum, sed pravis domesticis exemplis prius inquinatos? Sed non utar hac defensione, ex adverso ponamus pios, sobrios, eruditos, quibus equidem luxus, et otium ascribi possunt, si nempe literarum intemperantia sit luxus, si otium sit, vacare studiis. Itaque ad istas criminationes non est erubescendum iis, qui solens impallescere chartis, qui studiis non Venere macrescunt, quibus oppidum carcer est, Musæum et schola paradisus, et a quibus in Christo, discendo ut doceant, docendoque ut discant ætas impenditur. Quarto sunt et qui a tergo reclament, statuta nostra Academica, vel gravissima, sic Juniores, vel levissima esse, sic Seniores, et quidam viri cæterà graves, at vulgus Idiotarum esse inania et puerilia. At quid si primo retorserim ista non esse placentaria, omnibus ut placeant; deinde quicquid sapiant hæc fastuosa et fastidiosissima tempora, verumtamen temporibus Saturniis, h. e. melioribus, ut recte notat *Immins* ibid. Statuta Academica studiosissimè et religiosissimè colebantur. Nihil hic esse quod grave videatur juventuti. An quod studiorum leges describantur Cancellis? At vero quam hoc sit necessarium, consulant tectonicam, nauticam, sutoriam &c. Et observent quid quis commode possit præstare sine lege et modo Tyrocinii. Quanto magis ut θεολογικὴ, νομικὴ καὶ ἰατρικὴ facultates summæ in quibus exactè penitantur gratia divina, jus humanum, et curatio medica, legibus præscribi ac circumvallari oportet? Nec ideo levia ac minutiora sunt supponenda, quod Ceremoniæ quædam et symbola ex præscripto senatus Academici adhibeantur. Atque si hæc symbola ex humana institutione et conventione profecta, non ex ulla damnabili superstitione, imo sint citra eam observata, non video quod ita dici debeant, cum sint nisi publicæ testificationes ac debitæ laborum ante actorum, Denique nihil causæ esse, cur quærantur esse superflua et puerilia, quæ a Senatus Academici membris, putà *Can-*

cellario, Rectore, Facultatum Decanis, Syndico, Nationum Procuratoribus, Praefectis, ac Magistris Collegiorum, legitime instituuntur, et sine superstitione ac injuria ulla observantur. Imo datô quod summis viris videantur esse superflua, an propterea purè simpliciterque sic sunt? Nihil minus nec ex instituto legis, nec ex intentione eorum qui vel subsunt, vel qui praesunt. Si quinto instent, Scholas, Academias, istaque statuta a Pontificiis ad nos derivata esse, Replicat *Junius* ibid. sic, *Esto sanè ut dem a Pontificiis ista manavisse, num vero quicquid boni, quicquid honesti, et ordinati apud se habent Pontificii, id propterea sumus rejecturi, quia fluxerit ex Pontificiis? quin potius quicquid boni habent Pontificii, id commune habeamus cum ipsis, si ferunt, si non ferunt, servemus saltem aequè ac illi, et retineamus ad commune bonum.* At non ita est, uti illi opinantur, nam omnia quae vel ἐθελοθρησκείαν sapiebant, vel abusionem continebant, sunt jure merito repurgata, reformata, eradicata ac eliminata a principibus viris, eorumque deputatis, Academiarum Reformatarum Visitatoribus ipsisque Academicis, a quibus optime provisum est officiis omnium, sive docentium sive discentium. Sexto obstrepunt ac intonant, nihil grati commercii esse severioribus Musis seu sacris cum Philologia vel ullis literis humanioribus. At sic excussa de manibus vestris volunt, quae in deliciis sunt casta Musarum volumina. Sed nec in hoc finis malorum est. Repetam horrenda quaedam Weigelii Paradoxa coaxantis in mediis aquis, memorata ab *Heerubekio* Côm. de Weigel. p. 24. *Omnes Academias excrvtes esse Christi. Item, nullus Doctor, nullus Jurisconsultus, nullus Astronomus, Medicus, Philosophus, neque artium et literarum Magister caelum ingredietur.* Consimilia horum asseclae memorati habent: Annon aures obturatis? Annon despuitis? Plura non repetam, nam haec proculdubio non sani esse hominis non sanus juret Orestes, cum vel ostendisse satis sit refutasse. Primasiis nostris Reformatoribus longè alia mens, qui genuinum Philologiae et Philosophiae usum, superstitione ac curiositate nimia (inquam) non deturpatum in Theologia etiam ipsa ἀκροπόλει Χριστιανισμοῦ satis rotundè profitentur, et exprimunt. Vultis quid circa hoc *Lutherus*, is Tom. 1. epist. sic. *Errare toto caelo censeo, qui Philosophiam et naturae cognitionem inutilem putant Theologiae.* idem alibi *Linguae sunt cella promptuaria, ex quibus Concionator Evangelicus cibaria depromit. Melanchton* in quadam cujusdā epistolae clausula memorabili sic, *linguas*

certè

certè præsidi oportet iis, qui pro Concionibus passim à literarum studiis, imperitam Juventutem dehortantur, nam admissâ barbarie videmus olim labefactatam esse religionem, et vehementer metuo, ne eodem res redeat, nisi manibus et pedibus pulcherrimum Dei munus, literas defenderimus. Sed et ante hos, *August.* l. 2. de doctr. Christiana. c. 40. contra istos susurrones sic infit. *Si fortè Philosophi vera, et fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Plato, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda.* —— —— *Nam quid aliud fecerunt multi fideles nostri? Nonne aspeximus quanto auro et argento onustus* Cyprianus *doctor suavissimus, et Martyr beatissimus? Quanto* Lactantius? *Quanto* Victorinus, Optatus, Hilarius? *Ut de vivis taceam, quanto in numerabiles græci?* —— et alibi, *Philosophiâ verâ, sanâ, sanctâ et sobriâ, nullum est melius donum datum hominibus. Et Conc. Tolet. c. 23.* —— *de quibusdam locis ad nos refertur, neque magistros, neque curam inveniri pro studio literarum Idcirco ab Universis Episcopis in subjectis plebibus, et aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores instituantur, qui studia literarum, liberaliumque artium dogmata assiduo doceant: quia in his maxime manifestantur et declarantur divina mandata.* Nunc non vacat, integram ut hanc Camerinam moveam, itaque referam ad *Voetium, Vossium, Barlæum, Prideaux, Meisnerum, Vedelium* et alios, clarissime explicantes, quod quamvis nulla humana scientia, qua talis, sit genetrix actuum spiritualium, attamen ad hos acquirendos est conducibilis. Itaque Philosophiam non rejici sed abusum *καὶ κατὰ ἀπάτην*. Neque poetas simpliciter et omnes Republicâ exturbandos, sed qui ludis Romanorum et Græcorum turpissimis inservierunt, Cæteroquin eosdem appellat *Plato*, sapientiæ Patres et Duces. Philosophia et Philologia, harum neutra sit domina *imperans*, nec socia *coordinans* aut *collateralis*, sed ut Ancilla *ministrans*. Ad quod apposite *Zepperus*. l. 1. c. 6. de scholis. *Neminem res sacras plenè percepturum, et solidè traditurum, nisi scholarum beneficio usus fuerit, easque linguas et artes, quæ ad omnes graviores disciplinas, professiones et facultates viam sternunt.* Sed cum scientia, neminem tam inimicum habeat quam ignorantem, ideo septimo blaterant, incerta omnia esse et sic professa in scholis nostris, quod in utraque literatura nostra, divina et humana, merus dominetur Scepticismus, rectâ in Atheismum tendens. Quod nostræ κυρίαι δόξαι

ſint, nullas eſſe notitias communes, quod ſecundum noſtram diſciplinam, incertum ſit, *Num Petrus loquens vivat*. Sed hæc mera eſt calumnia, nos tam procul abeſſe vovemus ac jubemus methodum Pyrrhonianam a ſcholis noſtris, quam vel bufo ab *Hibernia* abeſt, vel a *Scotia* Tigris. Nos (ut diſpuncta ſit hæc calumnia) applaudimus *Augustino* contra hos Academicos, t. 1. diſputanti. ut et ei, quod de eis narrat *Seneca*, Epiſt. 88. *illi* (inquit,) *lumen non praferunt, ſed oculos mihi effodiunt*. Satius eſt ſupervacua ſcire quam nihil. Ex animo deteſtari nos omnem Pyrrhoniſmum, (omnem iſtorum ἀκαταληψίαν καὶ ἐπόχην,) qui omne ſcibile, omnem ſcientiæ certitudinem explodit, ridet, in dubium trahit, qui quodlibeticè quidlibet pro re nata amplectendo, vel repudiando, omnem naturalem veritatis conſcientiam, omnem ejus amorem, omne naturale ſciendi deſiderium innatum, quantum in ſe eſt, excutit. Horrere ſcholas Reformatas hunc furorem in omnes ſcientias, omnia ſapientum dictata, inventa, ſcripta, omnes Academias et honeſtiſſima ſtudia, omnia Dei dona, omnes labores et conatus, quem effundunt. Hunc omnino produxit (ſicut notat *Voetius* recte diſp. de Atheiſmo) elatio animi et ſingularitatis affectatio, quo fit, ut hi ζητητικο-σκεπτικοὶ, quavis viâ graſſentur modo non tritâ, inſtar *Heroſtrati* qui Dianæ templum incendit ad ventoſam aliquam gloriolam aucupandam. Nos jure merito relegemus ac amandemus hæc ἄτοπα ad *Loyolitas*, ad *Veronium* et *Perronum* negantes conſequentias vere rationales eſſe recte concluſas; ad *Remonſtrantes* Belgicos, quorum verba ſunt in examine Cenſuræ, p. 7. *Theologia ipſius anima ſuffocatur atque eliditur, ubi fiunt deciſiones, quibus conſtanter firmiterque adhærendum eſt*. Deniq; ad Philoſophos Carteſianos quorũ præceptor R. des Cartes in principiis ſuæ Philoſophiæ tradit *utiliſſimũ eſſe ut ſemel in vita de eis omnibus ſtudeamus dubitare in quib⁹ vel minimã incertitudinis ſuſpicionem reperiamus*. Quid hoc aliud eſt quam Andabatarum more in tenebris inque dubitandi caligine perpetuo ceſpitare et palpitare? Egregie pro nobis hic facit *Lutherus*, de ſervo arb. c. 4. *Abſint a nobis Chriſtianis Sceptici et Academici, adſint vero vel ipſis ſtoicis bis pertinaciores aſſertores, nam tolle aſſertiones et Chriſtianiſmum ſuſtuliſti*. Quidni cum *Kirchnero* hoc defleamus malum? Is vero Panegyrica II. *O peſtem Academiarum et ſtudiorum certiſſimam, quæ veritatem omnem in dubitationis ſuſinum et in funus trahit, qua ubi clariſſima lux eſt, nebulas*

nebulas ultro offundit, ubi controversia nulla, litium favillas serit, hac flammâ Academiarum nobilissima conflagravit, mater inquam Attica, hac peste periit. Utinam vero non labem eandem hæreditariam etiam cum maxima calamitate ad quasdam de filiabus suis derivasset! Si plura super hac re orationo prosequi vellem, non ad Clepsydram modo, sed et ad amphoram querimonia nostra protraheretur. Insuper sunt quidam *Momi* et *Aristarchi* non tam crisibus quam calumniis Academias et literas adpetentes, et offensissimis passim dicteriis proscindentes, *otiosissimum nimirum luxuriantium ingeniorum commentum, fallendi temporis causâ confictum, ad humanam societatem ne hilum quidem de suo conferre, adeoque inutilis disciplinæ professores ne vel Asse beandos, vel ipso professorum Elogio insigniendos aut aliquali proventuum auctura donandos.* Quid si his Carpesiis reposuerim. Quis verri fur &c.? Deinde nos æquissimis rerum arbitris remittimus Iudicandum, num professores non tam nomine et titulo quam studiosorum suorum numero, laboribus, profectu insignes, dici debeant otiosi, qui indies desudant in pulvere Scholastico? Sed videntur isti esse Asseclæ *Pauli* illius secundi Pontificis Romani, qui (teste *Platinâ*) hæreticos eos pronuntiavit, qui nomen Academiæ vel seriò vel joco commemorarent, et Romanos adhortabatur ne filios suos literarum studiis paterentur incumbere, satis esse dictitans si legere et scribere didicissent. Ista *Paulus* Pontifex, at non ita *Paulus* Apostolus, qui cum ipse docuerit et disputaverit in *Schola Tyranni*, nos omnes honorificè de scholis et scholarchis sentire docuit, nec esse ad instar bruti pecoris fruges consumere natos. Scio *Socratem* modico contentum vixisse: Omnia sua *Catonem* secum semper transportasse, *Zenonem* et *Chrysippum* moderata suasisse; frugalem cum illis præeligimus vivendi conditionem, memores etiam satis quam convenit ut impigri simus ad laborem, ut in posterum felicius utriusque status perferamus onera et adipiscamur honores. Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces. Sed horum Cynicorum vel potius ardelionum fluctus Decumanus est, quod in Academiis sint distincti gradus, quod DD. promotiones. *Quid enim ista, inquiunt, nisi Antichristi insignia? Quid Doctores Academici? Non Pauli, sed milites Antichristi. Deinde quantus est horum titulorum abusus, cum conferantur nisi ingratis et indignis?* At hoc imprimis hic memorabile est, quod qui primus nostrâ et patrum memoriâ gradus Academicos de suo deturbavit

gradu, fuit *Henricus Nicolaus*, Euthusiastes fanaticus, qui insulsè jactavit *se Mosi et Christo præponendum, eo quod Moses nisi spem docuisset, Christus nisi fidem, ipse vero charitatem utraque majorem. Mosenque propterea substitisse in atrio, Christum penetrasse in Sanctum, se vero in Sanctum Sanctorum*. Heu quam brevi confinio disterminantur (auditores) hæretica φιλαυτία, seu superbia et blasphemiæ infernales! Sed his pestiferis ganeonibus valere jussis, regero quod quamvis fuerint insignes in Ecclesia Dei viri, honores Academicos qui recusarunt, inter quos olim *Basilius*, et postea *P. Melanchton*. Attamen *Lutherus* hos semper summo prosequutus est honore, ac reverentiâ, cumque ageret annum tricesimum passus est se eo a *Staupicio* honore ornari. Imo et post eum H. *Zanchius*, post 26 annos in docenda Theologia feliciter exactos Doctoratûs gradum et ornamenta accepit a *Boquino*. Verùm, (ut quod sentio exprimam,) mallem *Junii* quam meis recitari verbis, de hoc themate ex professo differentis. Ac primò inquit *quod quidam detrectant capere præsentem virtutis et scientiæ fructum, h. e. honorem meritum, agnosco modestiam singularem, quam laudo, colo, veneror: at quantum hoc ipsorum judicium præstet judicio publico, videre non possum. Nam dum sibi gratificantur hujus modestiæ nomine sunt ingrati in bene merentes, ubicunque hæc ratio* ἐυχαριςίας *est legibus imperata. At ne ipsi Catones abhorruere a graduum symbolis*. Idem c. 5. *veneranda Antiquitas ante et post Caroli M. tempora, et majores nostri prospexerunt ut in literarum studiis essent probationes, testimonia, honores et gradus, Græcè dicti δοκιμαὶ, τελεῖαι, τιμαὶ καὶ βαθμοὶ. Et in facultatibus literariis, tres erant gradus. Quorum infimus erat* Baccalaurea, *medius* ἐλευθερία *seu* Licentiati, *summus erat* Doctorat⁹, *collatus viris eruditissimis, Doctoribus meritissimis, et professoribus lectissimis attributus. Quorum Symbola ait Zanch. t. 7. p.* 432 *erant* liber, *ut assiduâ lectione doctiores evadant*. Cathedra, *ut e loco superiore pro authoritate doceant*. Pileo *libertatem*, cingulo *militiam*, Annulo *dignitatem*; osculo *consociationem, pacem et gratulationem*, benedictione *consecrationem quandã in novo munere significabant*. Nam ut in politicis, *Regum* est Diadema, *Imperatorum* paludamentum, ut *Consulum* fasces, ut *Ædilium* currus eburnei, ut *Centurionum* vites, et ut *militiæ*, baltheus cum gladio: sic in scholis pro meritorum ratione distincti sunt gradus et honores. Idem *Junius* c. 6. *dixerit quispiam, quid opus fuit hos gradus hoc ordine conferri? quid observari has*

Ceremonias?

Ceremonias? Cur distincti sunt bonorum gradus? Tria potissimum erant in causa, meo judicio. I. ut ipsis de strenuè perfecto studiorum cursu daretur præmium. II. ut omnibus aliis studiosis exemplo consuleretur. III. ut illo singulari modo et viâ commodâ, Rebuspublicis caveretur. Forbesius in Irenico p. 306. *dicit quod hæc solennis renunciatio sit nova et honorifica agnitio aptitudinis eorum, et testificatio Academica, quod digni sint eo officio quod gerunt.* 2. *æquissimum esse, ut qui tam benè de Academiis merentur, eos vicissim Academiæ honoribus Academicis cumulatissimè prosequantur.* 3. *hac promotione redduntur idonei promotores aliorum.* 4. *confertur eis hic honor, ut sive in publico professionis exercitio maneant sive aliò evocentur, circumferant hoc honoris Academici insigne, quo discernantur ab aliis hunc honorem non consequutis. Idem Junius c.* 7. *refert ex Pausania, quod* Athenis, *intus in sacrario Academiæ tria visebantur,* Minerva *sapientiæ,* Hercules *fortitudinis,* Olea *pacis insigne : foris vero in vestibulo stabat* Mercurius *eloquentiæ pater, cui adstabant* Mnemosynes *filiæ, castæ sorores,* Musæ *humanitatis Judices, quibus adjuncta fuit* Promethei ara, *quorum omnium significatum est prudentia exercita et labore culta.* Narrant etiam, *Athenienses* præfecisse *Minervam* Academiæ, Lycæo *Apollinem*, et Cynosargi *Herculem* Tutanos, quod attinet abusum, idem *Junius* in Dedicat. replicat sic, *atqui utinam omnis abusus facesseret, sed usum rei legitimæ, ne illi quidem virtute et eruditione præstantes viri, propter illius indignum abusum tollendum esse contenderint. Rem Sanctè constitutam, utiliterque servatam, iniquum est propter abusum damnari; ubi est instituta, durum est propter quorundam opinionem negligi.* Si quæras quis ille in hoc abusus, respondet *Vossius* p. 27. 28. tract. de cognitione sui, *si pretio titulum doctoris tibi comparasti, et præ te contemnes illos, quos quicquid est eruditorum in orbe æstimat, et pro mundi doctoribus agnoscit. Si propter eum honorem cornua tollas, et eis impetas solidè eruditos. Si tantum sis titulo sed non scientia doctor, inde nata fuit illa* Laurentii Vallæ *querimonia, majorem esse numerum doctorum, a recto* doctor, *quam* doctus. *Et quis nescit illud Calceatum, accipiamus pecuniam ac dimittamus Asinum? Providendum ergo promotoribus ne immerentes ac indigni consequantur hunc honorem, qui collatus potius adimi debuit. Recte tamen notat* Forbes. *ibid. quod iniquè fit, nihil fecit contra æquitatem promotionis eorum qui digni sunt. Nam et multi indigni ordinantur presbyteri, attamen culpanda non est eorum ordinatio, qui ad munus presbyterale inveniuntur idonei quod taxat Dominus,*

minus. *Matth.* 23. *est hypocritica ambitio, et ambitiosa hypocrisis, illorumque DD. superciliosa πρωτοκαθεδρία. Idem Iunius c. 6. quæ cum ita sint, non possumus bonâ fide, quin sapientissimæ illius Antiquitatis prudentiam summam, et circumspectum judicium in eo ipso admiremur, quod alii contemnendum, alii abolendum grandi supercilio putant.* Facile crediderim ego huic scrupulo eximendo satisfieri, si sequamur in hoc *Cl. Zanchii* pronuntiatum. Is enim Tom. 8. et p. 502. *Dico Ceremonias hasce, quibus in creandis Doctoribus uti solemus, non esse ita necessarias, quin sine ullo Ecclesiæ detrimento aut dedecore omitti possint: Rursus ita honestas esse aio, ut contemni non debeant, nec sine reprehensione negligi.* Qui maxime aspernantur gradus Academicos, sunt illi, qui et ipsas Academias, imo literas, imo instituta divina, omnia media sive externa sive interna, tanquam literam occidentem temnunt, Ut *Dellus, Bestus, Ætonus,* &c.

Sed ne prolixâ minus oratione tædiū vobis creetur et nausea, propero ad id quod secundo proposui definiendū. h.e. quibusnā, strenuè nobis in hoc pulvere scholastico versantibus insudandū sit, quæ nempe in hoc studio promovenda, quæve etiam ut syrtes prudenter præcavēda. Ad illud, primo velim, ut quæ privilegia honoraria, quæ præsidia necessaria, quas immunitates proficuas concesserunt Academiis Potentissimi Principes, quasque sanxere leges, sapientissime providentes majores nostri, in publicum ac commune literarum bonum, ut inquam eadem omnia (si Halcyonia desideratis) serventur intemerata, illæsa, intacta. Antiqua namque statuta ac instituta circummunita sanctis edictis si serventur religiosè, ac intaminata, præsidiisque patronorum firmata, nihil esse, dico, quod tam incredibili fructu promoveat studiosæ (cui præficimur) Iuventutis commoda. Hoc vidit pia Antiquitas, hoc sentiunt ac deprædicant boni, hoc nostra tempora experta sunt. Meminerimus æquabilis legis Mosaicæ, *servate terminos quos posuere majores vestri.* Ad quod apposite *D. Wilkinson.* Prof. Oxon. p. 81. Conc. ad clerum. *Vobis omnia fausta apprecor et felicia; et ex animo deprecor venalia Academiæ privilegia, nec non venales Academicorum Conscientias.* In quæ si inquiras, audacter asseram, hanc nostram *Acropolin Athenaicam* privilegiis honoratissimis, institutis sanctissimis, legib' æquissimis et exemptionibus rationalibus merito gaudere. Ex quo enim a viro Ampl. *Wilhelmo Elphinstone,* fundatum est hoc insigne Collegium, ac ab eo,

Cancellario,

Cancellario, Conservatoribus, Rectore, naticnum Procuratoribus et aliis, erectum inibi fuit studium Universale: Ita sapienter omni ex parte provisum, ut in eo essent *qui altiores disciplinas profiterentur quatuor Doctores. Primus Theologus, cui Wilhelmi Edicto omnes audientes essent. In jure Canonico Secundus. Tertius in Cæsario. Medicus quartus, qui diebus legibilibus prælegerent quisque, prout Deo in die judicii responsuri essent. Baccalaurei decem, qui et doctores audirent et erudirent alios: Horū præcipuus Subprincipalis cui secundū Principalem summa est in Collegio permissa potestas. Quatuordecim adolescentes pollentes ingenio, studentes in artibus qui Philosophiæ insudarent. In humanis literis præceptor eruditus, ut ejus operâ adolescentes priusquam Philosophiam adirent, grammaticâ imbuantur. Erant et Præbendarii, erant et Capellani; Ædes quin, et Wilhelmi jussu condita Canonici juris professori, Cæsarii, Medico, Grammatico, a collegio secreta. Cui sacro conventui commissa est potestas amplissima creandi, graduandi, et promovendi Baccalaureos, Licentiatos et Doctores in qualibet facultate, pari jure quo celeberrima Parisiensis et Bononiensis Academia. Quæ omnia indulta et confirmata, (ut tum moris erat,) sub Pontificibus Alexandro VI. Paulo II. Iulio II. et Clemente VII. et liberali manu ratificata a Serenissimis nostris regibus, Iacobo IV. Iacobo V. Maria regina, Iacobo VI. et Carolo I. quæ si quis sciens ac volens infregerit, incurrat omnipotentis Dei indignationem.* Sed cum, ut evenit, corruptio optimi sit pessima, providè postea cautum est, ut, quæ ἐθελοθρησκείαν, εἰδωλομανίαν, ac superstitionem sapiebant, membra, essent amputata et resecta, qualia erant, *Sacrista, Sex pueri Chorales, totidem Sacellani, Cantor, tympanista, organista, processio Prebendariorum Pompatica et Missatica, suffragantes pro defunctis, eorumque exequiæ Missales,* &c. Nam purgatiore, per Dei Gratiam, adveniente religione, lustrata et expiata est Academia, musisque melioribus ac sacratioribus est dedicata. Cautione diligente adhibitâ ne obscœnæ semel abactæ volucres rursus contactu omnia fœdent immundo. Prorsus namque convenit Generali nostro studio sic esse Reformato, ut sit τῆς μὲν ὀρθοδοξίας ὑπέρμαχον, τῆς δὲ κακοδοξίας ἀντίμαχον. Et ut, quæ jam sunt apud nos in utili et viridi observatione instituta, ea sint intemerata, subdam, quæ in causa prorsus simili inculcat *Sa. Maresius* Curatoribus Acad. Groning-Omlandicæ, his verbis. *Hostis esto Ecclesiæ et Reipublicæ, qui Numinis ac Conscientiæ profanè securus, putet posse retractari Votum*

tum hac in re Deo solenni ritu nuncupatum, his verbis; *Eos Census quos majores nostri, homines liberales, animo quidem bono et religioso, sed errorum tenebris implicito ac lapsante, in usus impendemus longe meliores. Nam PP. Ordines Deo et Ecclesiæ promiserunt, Academiam hanc se aperturos, in qua curarent tres superiores quas dicunt facultates, Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, dein Philosophiæ partes omnes, Logicam, Ethicam, Physicam, Historias, Disciplinas Mathematicas, Græcam Hebræamque linguam: Denique ea quæ in aliis publicis scholis seu Academiis tradi solent: cum disputationum convenientium Exercitiis, doceri publicè. Atque his docendis regendisque disputationibus, Professores doctrinâ insignes, numero sufficientes, liberalibus stipendiis ornatos, ac ad diligentiam in faciendo officio, monitis et beneficiis excitatos, Favente Deo adhibituros. Ac in eo totos futuros, ne quid in hac parte Instituto desit, hoc est, ut jura, et privilegia, Instituto idonea, et bono publico congrua docentibus et discentibus pariter tribuantur, et quæ hactenus attributa sunt, ut conserventur.* Postremo liceat mihi vos alloqui; ut *D. Altingius* in sua inaugurali, *Heidelbergam*, (quò vestra privilegia ac immunitates sint vere munitæ, *Tu Aberdonensis Universitas, præsidiū et dulce decus meum, quæ tot annos domiciliū fuisti veritatis, et receptaculum professorū ejus, priscam strenuè tuere laudem, retine avitam fidem, avitam concordiam, avitam morum intemeratorum gravitatem, serva te castam virginem, uni Christo marito brevi aptandam.* ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρὸς, *plura hujus monetæ non superaddam, nam in vobis*

——— Veteris vestigia recti
Et mores video ductos meliore metallo.

Secundo vestrâ maximè interest, Academici, ut certum aliquem ac destinatum vobismet proponatis studiorum finem ac scopum, methodum ac modum, ne vago et incerto feramini Itinere, ne a scopo quò tendendum aberretis, ac ne vel propriæ mentis levitas, vel veteratorum versutia, vos a recto tramite divertat. Hi termini vobis præfigendi sunt, Dei gloria, proximi bonum: hæc media, virtus, probitas, pietas: non vero mundana, non opes, non honores, non parerga. Ad ista assequenda sit certa studiorum præfixa Methodus, sic non futuri vagi, errones, confusi, præcipites in eis cujus neglectus nefarius effecit, (referente *Capnione*) ut Neophyti sint anno primo in suis oculis *Doctores*, secundo *Licentiati*, tertio vero *discipuli*. Deinde sit prudens delectus, isque non solū librorum, sed et maxime

rerum; has quod attinet, me auctore primas dabitis pietati, prudentiæ alteras, tertias eruditioni, viam ad duas priores munienti: sic hæc summa votorum, optima ut sciatis, eademque faciatis. Illos quod attinet, evolvite non indiscriminatim quosvis obvios, sed optimos, non multa, sed multùm, ait ille. Hoc agite, notum est illud, ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, ὐχ' ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφος. Et illud *Martialis*, *stultus est labor ineptiarum*. Audite egregium D. *Vossii* simile. *Sicut qui suscipiunt peregrinationem longinquam, alicubi quidem divertunt, noctemque commorantur, alicubi solum prandent; alibi vero diebus aliquot subsistunt, et alia curiose, alia obiter speculantur: Reversi vero proprias inhabitant domos. Similiter universis amantibus eruditionis et doctrinæ, in quibusdam studiis brevi, in aliis longo esse tempore commorandum: quasdam disciplinas esse integras addiscendas, in quibusdam elementa sufficere: Atque ubi ex omnibus eis, quod utile est instituto suo hauserint, quasi domum reversos in sapientiæ ac prudentiæ studiis, assiduos esse oportere.*——— *Interim alia sciamus leviter, alia mediocriter, alia exacte. Leviter, ob exiguum usum, pro vitæ genere, quod nobis est propositum, in hujusmodi satis est elementa hausisse. Mediocriter alia, ob usum majorem, et quod sine eis ea intelligere, vel tueri nesciamus, quæ scopus sunt studiorum nostrorum. Exacte vero, quæ potissimum tangunt vitæ genus quod instituimus. Variant enim singula istorum pro vitæ proposito; e. g. hodie majori jure linguæ greeæ peritia in Medico requiritur, et major scientiæ naturalis notitia, quam in jurisconsulto. At jurisconsulto magis opus cognitione historiarum, et philosophiæ moralis et civilis. Theologum magis quam jurisconsultum, aut Medicum, Logicis et Metaphysicis imbutum esse convenit. Etiam illi magis necessaria est notitia linguarum Originalium, et historia Ecclesiasticæ.* Hoc ut amplius dilatem sit tertiò bonarum literarum et optimarum artium labor improbus, πόνοις πάντα πολλμᾶ, diligentiâ enim ac indefesso studio plus effecerunt ingenia mediocria, quam sine eo summa. *Quid tam difficile est* &c? Notissimus est Apologus concertationis inter *Testudinem* et *Aquilam*. Inter diligentes videas *Aristotelis* pelvim, *Cleanthis* lucernam, *Diogenis* cavernam, et *Miltiadis* trophæum. *Qui studet optatam* &c. *Ardens evehit ad æthera virtus. Erasmus* a *I. Brassicano* rogatus, qua ratione posset fieri doctus, sic respondit. *Si doctis assiduè conviveret, si doctos audiret non minus submisse quam honorifice: si doctos strenue legeret, si doctos diligenter edisceret: denique si se doctum nunquam putaret. memor illius Terentiani,*

 Nesciat

Nesciat quod scis, si sapis. Sed in vestra inexhausta legendi aviditate, ac indefessâ meditandi ac discurrendi assiduitate, ne sit, *Tantali* sitis inexplebilis, vel *Sysiphi* saxum laboriosissimè revolutum, duo suaserim I. ut igneæ ac generosæ mentes paulisper laxent animum, nec semper intentæ sint studiis, nam *neque semper arcum tendit Apollo.* Sed hac cautelâ adbibitâ, ne tunc marcescat animus otio ignobili, non voluptatum colliquescat illecebris, potius tum interim studeas tantum ex ore et vita celeberrimorum hominum proficere, quantum necesse habent scire magna olim gesturi, vitæq; non scholæ semper vacaturi. II. non esse quod putetis quidpiam boni præstari posse sine ope divina. Quapropter omnium quæ vel legitis, vel agitis primordia et exitum Deo commendate. Ne pro Iunone nubem, pro corpore umbram sectamini, assiduis vestris conatibus assiduas in Deum preces consociate, qui studiorum vestrorum author, donorum largitor, et profectus consummator est. Quam prudenter cecinit, *Homerus* ille, ἐν μὲν τίς δόρυ θηξάσθω, ἐν δὲ καὶ ἀσπίδα θέσθω, καὶ τότε ἀπὸ Διὸς αἰτεῖ.

Sed quarto adhuc pressius et enucleatius. Docentium ac discentium in Academiis, si quisque quid sibi incumbat muneris sciat, meminerit ac observet, aurea possent esse rediviva sæcula, post tantos squalores et horrores. Sunto Professores, Prælectores ac Docentes in eis moribus illibatis, procul a levissimo Scandalorum stigmate, suo exemplo sanciant præcepta singula bene morati. Doctrina Philosophica vel Theologica omnis, sine pietate ac probitate, quid est aliud nisi lethale venenum, quos habet inflans, quos inflat necans? Per me licet, omni partium studio seposito, de ponte dejiciantur, officio priventur, tum et beneficio, quotquot Baccho, Veneri, Genio aut somnolentiæ indulgent, vel aliâ quapiam dissolutâ vivendi ratione Academias conspurcant et dehonestant. Quod non fiet, si vel attentè legant, gnaviterque observent quæ memorat *Plutarchus* (ut de Scripturis sileam) περὶ παίδων ἀγωγῆς. Quam jugis sit scholæ motus, quòd Præfectum literarium attinet, hinc dignoscatis. *si pensitetis recursantes pensi Scholastici vicissitudines, quà commissum Scholarum Moderatoribus gregem leniter monendo, qua et acriter cohibendo, quà assidue invigilando, quà strenuè incumbendo, nunc docendo, nunc examinando, nunc inculcando, nunc reiterando; qua passim syllogizando, quà solvendo, quà distinguendo, quà probando, quà negando, quà amplificando,*

quà exemplificando; quà per omnia longissimo itinere studiosam juventutem præceptis imbuendo, denique quà examinis rigorem sustinendo, et sæpè in solenni virorum literatissimorum concessu, comminùs eminùs in arenam Philologicam, Philosophicam, ac trium principalium facultatum Scholasticam descendendo. Hæc non-nemo carptim et paucis. Sed hîc tria sunt, quæ a Philosopho cupiam remota quàm maximè 1. Ne sit præco actionum, cantor formularum, vel auceps syllabarum. Sic vult *Tullius*. l. de oratore. 2. Ne juniorum obruant ingenia vel et segnium, quæstionibus curiosis, ut ab eo, quod nisi pretiosissimi temporis jactura est abstineant, ac ut ne nimio hebetent. μηδὲν ἄγαν ἐν παντὶ βίῳ. Deniq; ne extra aleam divagentur Philosophi, vel falcem immittant in Messem alienam. Quæstiones Theologicæ optimè discutiuntur in auditorio Theologico, sacra namque profanis non sunt intermiscenda. Deinde auditores omnes præsertim discentes obnixe oratos velim, imo (quod mores attinet) amicâ nostra compellatione admonitos, quo vitæ purioris juxta ac religionis compotes evadant. Certe si ætate Iuniores, audiant esse sapientiâ seniores, non possumus in hoc non polliceri fructus uberiores in bonis literis. Meminerint se Academicos at non hedonicos esse. Quid potius commendem juvenibus quam animum compositum, sedatum, sobrium, eoq; magis propter intemperiem effrænem, calorem nimium, et cupiditatem in illis flagrantem? Mens enim tranquilla, modesta ac verecunda doctrinæ ac sapientiæ habitaculum est, hac communiti nec messis in herba perit, nec fructus in flore corrumpitur. At tumultuosa et ferox, tanquam mare æstuosum tempestatibus agitatum, nullas firmas in se recipit rerum imagines, sed instabilis perstat fluctuans, levis naviculæ instar, cui tam saburra quam gubernaculum deest. Itaque tria suaserim esse moderanda; φρονήματα, θελήματα καὶ παθήματα. Sunto cogitata omnia de Deo sobria, nolite altum sapere, τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω. Nec sit effectus intensior aut remissior, (βιωτικὰ si respexeris,) nec prosperis elati, nec adversis dejecti. Utinam ea, quæ Philosophi gentiles prædicarunt de viro suo forti, constanti, sapiente et prudente, comprobentur actu in verè Philosophis Christianis ac Theologis, fretis utpote melioribus argumentis, majoribus auxiliis ac spe mercedis amplioris, non frustrà Apostolus; τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν. Tit. 2, 6. et aliis in locis, μὴ ὑπερφρο-

νεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. μὴ ὑψηλοφρονεῖν. O quam pathetice suadent Oratores μὴ ἀφροντίζειν in phrontisteriis. h. e. ut asciti in Academiarum album, ascripti et matriculati, sint in victu parci, in vestitu modesti, in gestu graves, in Cæsarie non effœminati, in sermone securi, nam rarioris sermonis summa est securitas, et locuturus (inquit *Vossius* ibid. p. 27.) *cogita, quid, ubi, quando, cur, et quibus loqui velis.* Hoc quidem est vivere εὐσχημόνως, καὶ μετὰ πάσης σεμνότητος! Narrat *Suidas de Justin. Mart. Philosopho* ὅτι φιλόσοφος ἦν λόγῳ, ἐσθῆτι καὶ τρόπῳ. H. e. eodem interprete, non illum asflavit pestilens *Sydus*, opinio, constans sibique semper similis inter Symplecadas, h. e. animum pusillum et arrogantem. Miserum est ac pudeat quod hodie dispescantur Academici in tria hominum genera, *apes, fucos et Crabrones*, illas mel fragrans gignentes, istos alienis inhiantes ac viventes commodis, hosce præstantium virorum livore suo proscindentes ac dilacerantes famam. Qui chartis impallescunt, qui libris ac pugillaribus suis quotidie imminent, non sic affecti, non ita animati sunt. *Quumque morimur quotidie, ac indies demitur aliqua pars vita*, ut ait Seneca multo tempore discite, quæ postmodum doceatis, ut præcipit Hieronimus. Hora abit, memineritis Celeusmatum quæ ad studia excitent. *Nunc animis (inquit) opus est, nunc pectore firmo. Cæsar in foro, Hannibal ad portas, Catilina in Senatu.* Pretiosissimi temporis jactura minima in scholis, vix unquam recuperatur, *post est occasio calva.* illud si prudenter redimatis, tum paratissimi eritis ad Deo serviendū in utrovis foro; cum sensus habituri exercitatos ad discretionem boni et mali, veri ac falsi. Tum poteritis *generis lapsi sarcire ruinas.* Atqui hic demum verus est Sophronismus. Hic subdam nisi votum *G. Barlei ad duces Lunebergens.* in sua morum methodo. Primo cupiam ipsos pietatis et religionis Christianæ, quā et Deo principes obligantur, esse studiosissimos: Ideoque alienissimos esse velim ab eorum contubernio et familiaritate, quibus pietatis voces et sacrarum literarum oracula, ludus sunt et jocus. Cogitent summū illum rerum humanarū arbitrum, mediis ipsorum cogitationibus intervenire, prospera omnia eventura ipsum colentibus; *adversa contemnentibus.* Quintum nostrum hypomnema sit, nunquam posse florere Academias sine linguarum ac Philosophiæ sobriæ cognitione. Quam necessaria sit linguæ latinæ cognitio, vel ex illo patet, quod ea sit totius Christianis-

mi quasi commune quoddam vinculum, in tantum ut mutila videatur omnis cognitio, quæ sine hujus notitia habetur. Reliquarum duarum nempe Græcæ et Hebraicæ utilitas tanta est, ut cui Deus largitur ingenium (quatuor cum *Walæo*,) sine maximo dispendio eis carere non possit. Quid est honorificentius quam ut merito tu sis salutatus *Trilinguis*! Quid jucundius quã Prophetas et Apostolos suâ linguâ loquentes audire? Quid utilius quam Sp. Sancti sensa è suis haurire fontibus? alienis oculis, alienis judiciis credere debet, qui solos interpretes consulere potest. Utinam nunc talium tanta seges esset quanta superiori sæculo, hujusque principio, intelligo *Scaligeros, Budæos, Buchananos, Casaubonos, Hensios, Cujacios, Turnebos, Sturmios, Stephanos, Barlæos, Schindleros, Buxtorfios, Baudios* &c. Non necesse est, multus ut sim in probando, quam utiles ac necessariæ sint reliquæ artes ac scientiæ, qui naris emunctioris sunt, ultro fatentur; nam *didicisse fideliter artes Emollit mores nec sinit esse feros*, —— *nemo adeo ferus est quin non mitescere possit, si modo culturæ patientem commodet aurem.* At hic duplici opus cautela. 1. Ut tam artes quam scientiæ omnes ancillentur veritati Theologicæ, huic non præsint non præscribant, non dent leges, cujus contemptus movit *Tertullianum* ut vocaret *Philosophos (puta sui temporis) hæreticorum patriarchas*. Altera ne in Philosophiæ indagatione curiosa, nimium insumatur temporis, vel speculationibus Philosophicis inanibus ætas quæ seriis impendi debet, teratur. Quas nullum extra scholas usum habere, nimius affectator illarum cum suo damno tandem etsi serò experietur. Sextum quod suaderem est, ut ad Academiarum rectam informationem et in studiis profectum non pœnitendum, instituantur in eis quotannis in omni scibili Collegia dogmatica, textualia, exegetica, casuistica, didactica et polemica, et hæc ultima præ aliis, non sunt omnes zetetici sceptici. Dominus Iesus fuit quæstionista. Luc. 2. 46. Cujus vestigiis institerunt sequaces et asseclæ *Stephan*. Act. 6. 17. disputans contra Libertinos et diversarum nationum sophistas. *Paulus* adversus Epicuræos et Stoicos idque Athenis, Act. 10. 9. Argumenta vibrans et quotidie differens in schola Tyranni. Nulla solida unquam afferri potuit ratio cur adversus disputatricem Theologiam nonnulli scioli instituant suas invectivas. Quid hoc aliud est, quam cum infaceto illo Monacho debacchari, qui præfrictè asseruit Christum spinis coronatum, ut pro spinosis disputationibus

pœnas solveret. Nam quamvis altercandi libido semper displicuerit viris gravissimis, attamen usus est harum spinarum ad struendum Ecclesiæ sepimentum, ne irrumpant in domini vineam hæretici et alii ferarum instar, ac sic in prædam abeat veritas. Quid notius quam quod ad nostrorum hominum disputationes aculeatas, et ad depromptas e scripturarum pharetra sagittas acutissimas contremiscant adversarii? Testis sit illa vox Pontificiorum *Geneva* edita, ann. 1532, quando in procinctu stabant *Farellus et Saluerius*, statim e sacro codice contra fidem Romanensium dimicaturi. *si disputetur, totum hoc nostrum mysterium destruetur.* Nec minus nota est illa magni *Cardinalis Lotharingi* vox, qui post auditam in conventu *Possiaceno*, Th. Bezæ luculentam orationem, apud suos dixisse fertur, *Utinam aut ille mutus, aut nos omnes surdi fuissemus!* Quis tam inter vos plumbeus ac obesæ naris, qui si *Iustini, Tertulliani. Athenagoræ*, aliorumque scriptis apologeticis capiatur, *Hieronymimi, Chrysostomi, Theodoreti* et id genus interpretum Exegeticis, *Cyrilli, Lactantii, Cypriani didacticis* moveatur, non vero *Optati contra donatistas, Athanasii adversus Arianos, Augustini deniq; advers⁹ Donatistas, Manicheos et Pelagianos Polemicis* non rapiatur quasi in extasin? Ecquis est (si in divinis sapit) qui non abblandiatur nostris athletis domini fortissimis, *Calvinis, Chamieris, Iuniis, Whitakeris, Rivetis, Sphanhemiis, Maresiis Twissiis* et innũerabilibus aliis μακαρίτοις qui seculo proximè elapso et hoc nostro, lapidib⁹ e funda *Davidis* emissis omne gen⁹ *Goliatharũ* prostrarunt? Adeo ut hactenus illud probemus Hesiodi, Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Nec non illud vulgatum. *Multa rogare, rogata tenere, retenta docere, Hæc tria discipulum faciunt superare magistrum.* Ac Prov. Græcum, ἐν ἀπορίᾳ εὐπορία. Septimò, ut Academiæ nostræ èmittant radios pristinæ fælicitatis et avitæ gloriæ, sedulo ac quantum pote est, procuremus, nobis ut adsint ac faveant Mœcenates, patroni, benefactores euergetæ. Imo ut in magnatum ac principum aulis habeamus *Obedias*, qui olim scholis ac scholaribus fuere cùm ornamento tùm et adjumento. *Gallicanæ* nunc utuntur, fruuntur suis *Carolis, Ludovicis, Franciscis, Henricis*, Scoticanæ nostræ gaudent suis *Iacobis, Kennedis, Elphinstoniis, Dumbaris, Turnbullis*, Academias qui vel fundarunt, ac ditarent, vel restaurarunt ac locupletarunt prædiis ac latifundiis. Nostrâ interest, ut quâ voce, qua scripto, quâ affectu humili, quâ reapse cernui ac proni grates rependamus.

Hodie

Hodie plenis deprædicant buccis *Germaniæ* Doctores et Oratores quanto impendio *Saxones, Hassi, Thuringi, Palatini Comites* &c. Ecclesiæ Reformatæ nutritores, fultores, cultores, ultores, strenuè incubuere, ut apud Germanos omne genus florerent literæ. *Audite H. Kirchner. Paneg. III. Sic perorantem; nihil tum illustrissimos principes, tum generosissimos Comites, tum vero nobilissimos quosque Germanorum equites ac proceres Imperii, magis sibi expetendum, majorique studio ac industriâ ambiendum, quam literariæ virtutis ac eruditionis gloriam, dignitatem ac titulum Magistrorum et Doctorum duxisse. Hoc enim animo præsagiebant nihil illustrissimis Principibus illustrius, nihil a generosissimis Comitibus et Baronibus generosius, nihil nobilissimis hominibus nobilius, nihil clarissimis viris præclarius haberi, nihil divinius comparari, nihil firmius et constantius possideri bonarum artium studiis et dignitatibus.* Repetitque ex Historia quod in una Academia *Fuldensi*, studiorum prospero domicilio, sexcenti Equitum nobilissimorum liberi, fuerint promoti magistri et doctores uno eodemque anno. Tunc enim temporis qui ex nobilissimis familiis progressi: literarum gloriam veluti unicum nobilitatis argumentum sunt consectati, qui non solum literas et artes ingenuas summo percoluerunt studio, sed etiam literarum insignia ac titulos et honores Academicos, gradibus ut vocant, assumptis, maxima cum voluptate et dignitate induerunt. Sed ante eum Doctiss. *Zanchius*, Orat. de aperiendis in Ecclesia scholis sic infit ad I. Casimirum. *Est enim hoc proprium officium Principum, nempe scholas erigere, professores liberaliter sustentare, scholasticos pauperes alere, omnes fovere ac tueri.* —— *cum* Esaias *prædicit eos futuros Ecclesiæ nutritios, manifestè docet, tales esse debere.* —— *quærant igitur profani et hujus sæculi principes sui nominis celebritatem extruendis altis palatiis, extollendis pyramidibus, erigendis colossis, faciendis arcubus, suspendendis trophæis, muniendis arcibus, subjugandis hostibus, ampliandis regnis. At nostri pii, si in hoc unum cum primis incubuerint, ut scholæ aperiantur, Ecclesiæ curentur, doctrina cœlestis propagetur, eoque regnum Christi promoveatur, extendatur et attollatur, tum omni procul dubio veram eamque perpetuam, non solum apud homines, sed et apud Deum, gloriam sibi comparabunt.* —— *unde enim viri periti, et prudentes et ad respublicas gubernandas idonei? e scholis. Unde medici qui nostra curent corpora, qui ægrotis faciant Medicinam, qui bene valentes valetudinem curare et conservare doceant? e scholis. Denique unde viri reli-*

giosi, sanæ doctrinæ studiosi, veræ pietatis ac religionis professores, doctores, propugnatores? e scholis. Imo nec artes mechanicæ perfectæ esse possunt, si scholas literarias tollas ——— discant itaque principes quid sui sit officii. Octavo, de necessitate esse, ut in qualibet Academia sint sapientiæ armamentaria, scientiarum et artium promptuaria, intelligo Bibliothecas, easque apertas in usum tum professorum, tum et omnium scholarium, certis videlicet horis, earundem *præfecti authoritate ac custodis observantiâ.* Cum nec literæ nec scholæ, (imo nec ipsa religio) diu florere queant, vel conservari, ac ad posteros transmitti, si nulla sit bibliothecarum cura, has qui adornarunt, clarè monstrant quanto ipsis in pretio sunt eruditio et pietas. Quo proficuo studio, toto orbe celebres adhuc sunt *Metasthenes Persa, Pisastratus Atheniensis, Eumenes Pergamensis, varii Ægyptiorum reges, ac in eis Ptolomæus Philadelphus* locupletissimam qui instituit bibliothecam, brevique conquisitis authorum præstantissimorum voluminibus, instructissimam eandem reddidit. Unum hoc in *Juliano* Apostatâ celebrandum, quod *Antiochiæ* in suburbio *Daphne* dicto, nobilem adornarit Bibliothecam, et ejusdem foribus affigi curaverit, *alii quidem equos amant, alii aves, alii feras, mihi vero a puerulo mirum acquirendi et possidendi libros desiderium invasit.* Quid in *Nerone*, monstro hominum, magis vituperio dignum quam quod Bibliothecas omnes Romæ, unà cum ipsa, in quibus erant clarissimorum virorum monumenta, perniciosissimo incendio perire jusserit? Et sane nisi sequentes Imperatores (ut recte notat *Hospinianus*,) *Vespasianus, Domitianus, Trajanus, Adrianus* ac similes, maximis curis, sumptibusque immensis easdem restituissent, nulla fere optimarum rerum hodie superesset memoria. Quid *Antonii* Triumviri ac pellicis *Cleopatræ* facto indignius? Quam misera ista adeoque dolenda dissipatio ac dilaceratio Bibliothecæ Alexandrinæ, quæ studiorum omnium pretiosissima suppellex reputata fuit? Illorum vero nomen unguento pretiosius est, qui Bibliothecas Christianas, illas inquam ingentes adornarunt et locupletarunt; intelligo *Vaticanam, Parisinam, Venetam, Æthiopicam in monte Amara, Bononiensem, Basiliensem, Florentinam, Heidelbergensem et Bodleianam. Zanchius* ibid. recensens quatuor illas gravissimas causas cur Deus institui voluit scholas, hanc primam assignat, *ne Prophetica et Apostolica scripta corrumperentur ac perirent, Bibliothecas, in quibus illa conservarentur addi scholis voluit,*

ut ibi fideliter descripta Hebraicè, græcè, et latinè, et obsignata custodirentur nam si Sp. Sancti defuissent, S. codices, Bibliotheca quælibet videretur inane repositorium. quo quis ergò liberalior, quo quis bonarum literarum veræq; virtutis amantior est, eo plus conferet in hoc commune scientiarum ac artium bonum. Huic benè inserviat paraclesis ista *Hospiniani. Si vel tertiam partem sumptuum, quos prodigunt Nobiles in Convivia, vivaria, equos, gemmas, vestimenta, aliasque res inanes convertant in bibliothecas, ac emant authores sacros, doctos, probatos, bonos et utiles, non solum veram religionem et studium bonarum literarum propagabunt, sed etiam sibi ipsis sempiternam memoriam et Immortalem gloriam comparabunt.* Sed nobis nunc Deo opt. max. gratiæ immortales agendæ sunt, quod in ea inciderimus tempora, quibus scholæ, libri, Ecclesiæ orthodoxæ suam παλιγγενεσίαν debeant, jam enim Oriente sole Iustitiæ, diffugiunt indies umbræ, vanitatum astra caput condunt. ἀβιβλοὶ καὶ μισοβιβλοὶ sunt exosi, indices illorum non expurgatorii, sed mysterii iniquitatis Romanensium exibilati nunc et explosi. Nova nunc rerum et hominum est facies, proditque in scenam. Nulla enim nunc vel illustris est schola, nulla Academia, in qua non visatur, non teratur, optima librorum suppellex, non sint Amalthæa confertissima. Ex quo fit ut non pauci transeant in Bibliothecas ἐμψυχας. Sed hic unum necessarium deest, quod me multoties malè habuit, h. e. *Stephanos, Plantinos, Iansonios, Elziverios, Nortonos*, et istiusmodi Typographos in *Græcis et Latinis* versatissimos, nunc dierum deesse et desiderari. Certè si honorificum Præli inspectoribus accederet stipendium, (nam tam Præli, quam Belli, pecunia; nervus.) probabile esset plura volumina, eademque multo elimatiora in publicum emittenda. Optemus itaque præsideant ut scholis, et typis, quibus curæ et cordi erit prospicere, ut non tam luce quam limâ in posterum prodeant universa. Ultimò nullum salutarius adhiberi posse remedium, ut scholæ et Acadamiæ floreant, e pulvere ut resuscitentur, ac vigeant: quam ut sint visitationes earundem, *sic enim virtus laudata crescat* et immensum gloria calcar habeat, sic villicationis justâ reddatur ratio. Certè si rectè in Ecclesia institutum sit, ut sint visitationes Episcopales quotannis, tum et presbyterianæ, quidni frequentes Academicæ essent, ab eis quorum interest? Cum autem omnis visitationis dextræ vis in inquisitionibus consistat, Aio visitatorum esse, ut prospiciant quæ in

hoc tam laudabili opere ſunt vitanda, quæ curanda per et poſt explorationem. Summâ curâ vitabunt viſitatores προσωπολῆψίαν, δωροφαγίαν και πλεονεξίαν; olim cautum fuit, ne viſitatores a viſitatis aliquid exigant vel ablatum accipiant. Præcaveant, ne fiant procurationes indebitæ, vindicativæ, odioſæ, ne tergiverſationes, ne diſſimulationes, ne colluſiones ac conſpirationes mutuæ ex compoſito. Inquirant num Collegiis ac Claſſibus præficiantur ignari, indigni, ſegnes, hæreſios ſuſpecti, vitæ non ſatis puræ. Quid, a quibus, quando, ubi doceatur? num ſtatuta exhibita obſerventur exactè? De ædilitate, reditibus, privilegiis, legibus. Num ἄτακτοι et infames recipiantur in ſcholarium numerum? Num ſtudioſorum ſit profectus? Num boni ordinis obſervantes? Num ea vitæ ac morum integritas quam oportuit? num S. paginæ lectio cum privatim tum publicè? Num preces ad Deum indies fuſæ? Num pſalmodia, num catechiſatio? num aliquis ſcholarium hæreticâ infectus pravitate? Num irregularib⁹ pœnæ ac mulctæ inflictæ? et hic ſi ullibi præcaveant, ne diſciplina excedat modum, exercita etiam in vagos, errones, cervicoſos, ne accidat quod Ovidius canit,

Curando quædam fieri pejora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Num examinationes, probationes, diſputationes? Num debita dignis conferatur Laurea? Num antea viſitata ſint adnotata in libro? Num poſteriores cum prioribus collatæ ſint? qui plura volet, legat pt. 12. Conc. Coloniens, t. 4. p. 2. conc. Binii, c. 5. 8.

Hæc κατὰ θέσιν, feſtino nunc ad id quod ſecundo propoſueram, h. e. quænam Academicis ſunt præcavenda, de iis κατ' ἄρσιν, καὶ ὡς ἐν τύπῳ. Hoc ut monſtremus nunc incumbit, quæ ſunt vobis in utraque literatura fugienda, tum quoad ſtudia, tum quoad mores. Primo, nollem in humanioribus, in minus neceſſariis, ac vix ulli ceſſuris bono, inutiliter ac miserè tempus diſperdi. Ad quod audite duos omni exceptione majores, unius exemplum, alterius teſtimonium. *Carolus* ille magnus dictus Pater *Orbis*, in Galliam rediens, Iuvenes illic in re literaria educatos ſiſti ſe coram voluit, et examen ſubire, quo de ſingulorum indole certior fieret. Quo peracto facile conſtitit, tenuioris fortunæ adoleſcentes præter ſpem multum profeciſſe, nobiles vero et ditiores in cute curanda plus æquo operoſos, cultum animi ſuſque deque habuiſſe. Quocirca *Carolus* illis ad ſe

aggregatis,

aggregatis, ait AVENTINUS. *Vos quidem macti virtute estote, inquit, filioli pientissimi, qui nostro imperio gnaviter defuncti estis, et tempus redimistis: vestra erunt Sacerdotia locupletissima, et pontificatus maximi. Ego vos in aulam asciscam, Ex vobis Senatores cooptabo, vos in album patrum et in Curiam pratorum allegam,* Deinde ad nobilium liberos, quos a Læva collocaverat vultu haud iram dissimulans, *ait, at vos comatuli, et delicatuli freti opibus et splendore parentum, nostram Majestatem consprevistis, vitia, otium, luxum et inertiam bonis literis et virtutibus pratulistis, contempto decreto nostro. Iubeo et Deum Immortalem testor, nihil penitus honoris et commodi, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa aspernati estis, expectate. Faxim ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis, et in vos exempla edam, nisi vestrâ deinceps diligentiâ, quod reliquum est temporis, et priorem negligentiam expietis.* Hæc ille, alterum sit dolendum illud Æneæ Sylvii postea Papæ Pii II. de statu Academiarum Germanicarum sui temporis testimonium. *Maximum Gymnasii vitium est, quod nimis diutinam operam in Dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui magisterii artium titulo decorantur, hac una in arte maxime examinantur: Caterum neque musica neque Rhatorica, neque Arithmetica ullam curam gerunt: quamvis Metra quadam et Epistolas ab aliis editas exhibentem, Magistrandum appellent. Oratoria et poetica apud eos penitus incognita, quibus omne studium in Elenchis est, vanisque Cavillationibus, solidi haudquaquam multum. Qui libros habeant Aristotelis aut aliorum Philosophorum, raros invenies, ——— pauci emergunt docti, neque sub censura tenentur. Die noctuque vagantur, magnasque civibus molestias inferunt. Mulierum procacitas mentes eorum alienat, student voluptati, cibi et vini avidi. Hinc fit quod pro molli viola* &c. Si jam in vivis essent hi duo magni authores, quid creditis in nos non dicerent, qui omnium quæ in nos collata sunt, tam nefario abusu, tempora nobismet procuraverimus tam luctuosa? An non jure merito juberent illud poetæ applicare, *atas parentum pejor avis* &c. Sed in specie, mala ista quibus Iuniores circumvallantur perpendamus, et quibusnam eis obviam eas remediis. Illa vero sunt præcipuè hæc quatuor, inscitia, voluptas, superbia et intemperantia. A primo est, quod toties nitantur in vetitum, quidlibet per fasque nefasque adorituri, quorum intellectus nunc crassâ nunc affectatâ offuscatur ignorantiâ: ita fit ut quibus lumen ademptum est, cæci cespitent, nec inde emanent puriores

riores latices Civitatem Dei refocillaturi, dumquè semet autumant πανσόφους, hi δοκησισόφοι præcipites in foveas errorum ac vitiorum ruunt. A secundo est, quod ardore magno, animique impetu sollicitius quamplurimi quærant bonas horas in malis ut conterant nugis. Quid sibi volunt (quibus tamen delectamini plus æquo.) v.g. ludi tesserarum et chartarum pictarum, Herbæ Nicotianæ haustus immodicus, Canes venatici imberbis Iuvenis, Hospitium cum activum, tum et passivum malè feriatorum Ardelionum, huc et illuc circumcursantium? Quid enim a natura vestra corrupta aliud estis quam onagri pulli non coercendi frœnis, non cicurandi remediis, non emolliendi unguentis? Itaque efflictim vos obsecro, semper ut caveatis a voluptatum lenociniis. Memores estote, tria esse Satanæ tela ignita, persecutiones, injectiones, et tentationes, inquit *Lutherus*. A tertio tanquam radice putri proveniunt ramusculi putridi. Ac primò quod externa attinet, illi, Thrasonicâ jactantiâ objectantium et genus et proavos, gestus superbifici. *Dum in senem superbit puer, et vilis in honoratum*. Esa. 3. 5. crines pulverei, odoriferi, ut è pistrino albicantes non è Musæo. Quid quæso aliud pertendat Academiæ cæsaries illa indecora, ementita, emptitia, criniumq; nutritio quam *Cometa Crinitum*? Quis hic in bivio hæreat, num ad istos fastuosos gestus, habitus, vestit⁹ effœminatos deridendos unus suffecerit *Democritus*, an ad eos deflendos un⁹ suffecerit *Heraclitus*! Quid aliud hi sunt quā vespæ et fuci dum alvarea depascuntur Academica? Quid nisi Parnassi nostri dehonestamenta? Deinde quod attinet interna, jucundum auditu est quod contrà scriptum reliquit *Volusenus* nostras, aureo isto libello de animi tranquillitate. *Si arroganter jactites stemma, prosapiam, opes, successus, felicitates in connubio, liberis, amicis, ἢ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ. Quid si hæc omnia sint nisi compedes aureæ? Quid enim horum est quod non celerrime possis eripi ac deperdi? O quam vere*, Max. Tyrius, ὅταν ἴδω ἅπαντα εὐτυχοῦντα, τήν τε πόλιν, καὶ τὸν πολίτην, τότε διαπιστῶ ταῖς εὐτυχίαις. Publius Syrus, *fortuna quos nimium favet stultos facit. Si in illo glorieris quod habeas velocitatem cogitandi, subtilitatem penetrandi, solertiam inveniendi, tum et acerrimum in discernendo Iudicium; Memento tamen quod hæc cœlo durant genus. Quod memoriâ, doctrinâ variâ, eaque reconditâ præcellas aliis: At O Mnemonice quid si non optima memoriæ committas? Quid si, ut ait* Seneca, *nullum sit magnum ingenium sine mixtura dementiæ? Quid si te*

alii

alii multi a tergo relinquant? puta temet prudentem iis quo sit bona affectuum cum ratione harmonia, quod affectuum inordinatorum insultibus non succumbas, quod in pecudem non transeas, Veneri et Baccho addictior. Et si desit pietas, frustra es, frustra et illa. Tum verè doctus, benè natus, benè educatus, tum prudens, tum sapiens; tum felix, si carnem rationi, hanc gratiæ, omnia Deo subdas, tum vere pius es. Pietas enim virtus illa est exsuperans omnes virtutes Cardinales. Hæc illa est dicta Cypriano, nobilium ornamentum, ignobilium nobilitas, exaltatio humilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, minoratio criminum, decus religionis, creatoris omnium Dei amica, quæ ad felicitatem assequendam architectati sunt alii, præ hac, plumbea omnia et exanguia sunt. Huic non assurgit stoa vel alia secta, ut ut ingeniosissima. A quarto est, quod nonnulli maximè nobiliorum filii quibus res est, plus satis indulgeant commessationibus *Sybariticis*, compotationibus *Bacchicis*, aliquando et opiparis conviviis, *Persico* apparatui, *Romana* vel luxuriæ æmulis. At quid minervæ cum *Baccho*. Quid palestræ Philosophicæ cum poculorum digladiatione? Scholæ nostræ essent Asceteria Sanctorum non diversoria ganionum. Ab his ineptis consuetudinibus ubicunque sunt, oritur Academiis scandalum gravissimum: gulæ ac ventri quicunque studet infra bestias deprimitur sic serviens abdomini. Quis ille *Minotaurus*, nisi caupo nequissimus? Quid Augiæ stabulum cui repurgando insudavit *Hercules*, Cauponæ et œnopolia pestilentissima, quorum drama, est illud poetæ, *nil scio, nil habeo.* Utinam hic noster sermo Nutheticus (quem suggessit noster amor fervidior, ut literariæ rei studiosissimus) in vestris tam altas agat radices pectoribus, infigatque tam vehementes aculeos ut in hoc sponte esse velitis *Camilli, Scipiones, Fabricii, Sulpitii, Danieles, Timothei,* suntne vestræ *Musæ* ac *Charites* pudicæ, castæ, sobriæ, earumque præses *Apollo?* Nihil est quod moremini *Catones* vel *Baudios*. Quàm recte *Plinius, liberale philtrum ac fascinum est si te accommodes præstantissimi cujusque moribus, optimis te gratiorem reddas. Nam æmulatione meliorum nihil est ad incrementa virtutis feracius?* Itaque nec inutile fore credam, si prædictis subdidero eas leges ad quarum normã, *Ant. Walæ*[9], censet instituendos studiosos in Collegio Sẽinarii Indici t.2.p.438.&c.

I. Quo hujus collegii studiosi, modestè, pie, sobrie, et honeste vitam instituant, sedulo ipsi vitabunt, et ut alii in sua præsentia vitent, curabunt, omnes blasphemias, execrationes, dejerationes, verba obscana, jurgia, contentiones,

tentiones, mendacia eliminanda, &c.

II. Honorem præstabunt ac Reverentiam Magistratibus, Professoribus, Pastoribus, Presbyteris &c. *nominatim vero Regentem suum reverebuntur.*

III. Non arma interdiu aut noctu gestabunt, nisi forte peregre ipsis sit abeundum.

IV. Cavebunt sibi ab omni pravo consortio, et locis ipsorum vocationi minime convenientibus. qualia sunt diversoria, sphæristeria, ludi gladiatorum &c. *nec intra collegium ludis utentur famosis aut cum scandalo conjunctis, quales sunt alea* &c. *honesta exercitia illis nonnunqnam concedentur, Regentis arbitrio.*

V. Integrum erit Regenti ordinem studiorum prascibere, et eorum ab eis rationem exigere, ipsorum ingredi cubicula, et libros tam scriptos quam impressos perlustrare.

VI. Lectiones publicas, quas Regens assignat, sedulo audient, Conciones sacras diebus Dominicis tam ante, quam post meridiem frequentabunt, nec cuiquam ex istis, nisi cum Regentis permissione, emanere licebit.

VII. Omnes et singuli precationibus communibus interemnt. Item singuli eorum caput unum aut alterum e S. Bibliis legent, et Regenti quæstiones proponenti rogati respondebunt.

VII. Ad communia aut singularia exercitia, omnes in atrium commune convenient, horis a Regente designandis.

IX. Nemo de nocte post horam decimam lucubrabit.

X. Sermo eorum in Collegio Latinus erit.

XI. Nemo in cubiculum suum inferat aut vinum, aut cervisiam fortiorem, aut ullum potum inebriantem, aut ullius generis cibaria inferri permittet, aut tabacci fumo utetur, nisi fortè ex præscripto Medici, et non nisi cum Regentis venia.

XII. Iterantes delicta, Facultas ex eo collegio ignominiose ejiciet, et sic ejecti a nullis harum provinciarum scholis aut ecclesiis ad ministerium promovebuntur, tanquam furti et ingratitudinis manifesti, &c. hæc ille et alia.

Subdam et quasdam de legibus Collegii *Anti-Bellarminiani, F. Hommio* memoratis.

I. Gloria Dei, et profectus in veritate ac studio S. literarum, suprema lex esto.

II. Nemo in hoc Collegium adsciscitor, nisi de cujus pietate, modestia, et diligentia, et profectu in SS. Theologia studio, præsidi et toti Collegio

probè

probè constiterit.

III. Ad horæ designatæ punctum omnes Collegæ adsunto.

IV. Si quis disputationi non interfuerit, et absentiæ causam collegis probare non possit, singulis vicibus duos asses pendito.

V. Respondendi provinciâ unus fungitor, in eamque singuli ex ordine Catalogi succedunto.

VI. Argumenta modestè. distinctè, syllogisticè, atque etiam quantum fieri potest, Categoricè proponuntor.

VII. Ex sola S. Scriptura, in qua omnia ad salutem necessaria dogmata perfectissime continentur, et a rationibus eidem Scripturæ consentaneis, Argumenta petuntor, eaque sola admittuntor. &c.

Sit tota vestra Iuvent⁹ Deo consecrata, dico vires animi et corporis valentissimas, medullas spirit⁹, quotquot habetis corporis membra, animi facultates, interioris pectoris penetralia, omnia utiq; suto Deo devota dedicata. Quod de corde dicit *August*. vult hoc De⁹ jure peculiari *Unũ uni, purũ puro, præsẽs præsenti, sibi ut holocautoma offerri.* Idẽ de juventute asseruerim. Hanc *Auroram* in solidum sic Deo despon- satam. Sic expultrix futura omnium vitiorum, sic effectrix virtutum erit quarumlibet, sic cognitio vestra matutina transeat in lucem Meridianam. Hæc enim musis semper amica. *ἠῶς γὰρ ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.* Sic non valet illud Menippæum *Angelicus juvenis senibus satanizat in annis.* Sic non veluti Cymba, prono amne abripiamini in vitiorum priorum volutabrum.

Sed antequam hoc absolvero, accedo propius ad id quod nostra tangit studia Theologica, quod attineat nostros candidatos ac Nazaræos. Ac primo quæ dissuaserim, deinde quæ suaserim, inter illa hoc primum, ne supervacua et curiosa sectemini: hisce incumbenti, vel malè vel aliud, vel nihil agit, ait *Seneca*: coarguendus ergo sacrilegii suffurando tempus aureum. *Basilii M*. in *Canon*. hoc unum est dissuasorium. *Sileantur superflua, glorificentur fide corroborata, nec curiosius investigentur silentio præterita. Nam*

——— *Nescire velle quæ Magister maximus*
Celare voluit, erudita inscitia est.

Deinde magnopere præcavendum est, ne sitis ullatenus dementati ac fascinati novorum Dogmatum prurigine, vel Revelationum non scriptarum novitate, non novaturientium subtilitatibus ac præstigiis illaqueati. Qui quamvis semet jactitent *τίνα δύναμιν τοῦ θεοῦ μεγάλην*,

attamen comperietis quod ipsorum phantasia judicio longè imperitet, nam dum per multas evanidas speculationes evagantur, et nova producunt dogmata, novasque loquendi formulas,quorum quod ipsi fuerint primi inventores, haud parum gloriantur. Sed quid audias, nempe populo ut placerent, exoticæ verbositatis apparatum, sententias luxatas, violatam orationum suturam, dum allegoriis intumescunt ineptissimis? cum sit stylus vel ex ludorum scenicorum Rhapsodiis consarcinatus, vel proprii Cerebri minus sui compotis deliramentis. Adeo ut citius clavam extorseris e manu *Herculis*,vel aquã de pumice exprimes, quam micam vel salis vel distinctæ cognitionis ex novatorum placitis. Hinc est quod pro necessariis obtrudant supervacanea, pro certis ambigua, pro ente reali ens rationis. Christum somniant novum, Platonicum, Idealem. Quorum scripta (etiamsi audiant *Stupor Preli*) si pensiculatiùs evolvatis, exanguia et insipida, soccum potius quam Cothurnum redolentia, comperietis, videantur *Bohemi*, *Delli*, *Crispi*, *Websteri* &c. scripta. Temperetis vobismetipsis, ne præposteri et curiosuli in scopulos incauti periculosissimos illidatis, ubi et fidei et bonæ conscientiæ naufragium facturi, quam verisimillimum est; præstat ad Leones vel metalla damnari, vel ad Myoparonem Turcicum, quam ad horum novantium Conciliabula, harumque Syrenum incantamenta. Tertio ne sitis ex eorum numero, vel qui semper legunt nihilque inde eligunt aut colligunt, quid hoc aliud est, quam variarum regionum oras et urbes præternavigare, nec ullum alium hinc referunt fructum, nisi quod se eas vidisse possint memorare? vel quos distrabit librorum multitudo. Audite *Senecam* contra hos, *fastidientis est stomachi multa degustare,quæ ubi varia sunt, inquinant non alunt*; *nusquam est qui ubique est. Sat est habere quantum legas, certis ingeniis innutriri oportet*. Sitis ut apes, quæ flores inanes et infructuosos transvolant, sed proficuos hinc inde collectos ac decerptos in alvearia sua deferunt,et certis distincta cellulis disponunt. Sic et ex utilium authorum lectione augeatis vestra adversaria, et ea quæ inter cœtera eminent, aut usum insigniorem conjunctum habent, in suas quoque sedes ac locos digeratis, ut ea, tanquam ex thesauro aliquo, quando opus erit, in vestros depromatis usus. Denique ne ullatenus hæresios inficiamini fermento, novitas cui nimium lenocinatur, diffundens se ocyus in totam familiam, Academiam, urbem, Ecclesiam, regionem

onem quod nunc nimis compertum est: hujus enim fermenti, putà hæresios ac erroris propria sunt, ut fervescat, tumescat, et acescat: quæ quam quadrent in prænominata, hinc colligas. Ac primo, nimium pugnaces sunt errorum advocati, fervidioris paulò genii; vultis nisi exemplum, nisi unum, proh dolor! non exemplificandum dabo in *Lutheranis* rigidioribus. Quid *Iacobus Andreæ* in exitu colloquii Monpelgratensis? *Bezæ dabo dextram humanitatis, at non fraternitatis.* *Schlussenburgius* scripsit *se velle Calvinianos perfecto prosequi odio, secundum Dei mandatum, tanquam hæreticos.* Brentius *in eo quod condidit Testamento, omnes viros principes attestatur, ne Zuinglianis ulla sedes, ullus in Germania locus relinquatur.* Ioh. Affelmānus in tract. cui titulus, Trias syllogismorū Anti-calvinisticorum, hunc tertium facit Syllogismum. *Quorum doctorum tanta est profanitas, impietas et abominatio, ut fidem Christianam simpliciter e medio tollant, et quemlibet in sua religione salvari posse credant, eos certum est causam religionis non agere seriò sed religione ludere ut tesseris; at Doctorum Calvinianorum tanta est prophanitas, impietas et abominatio* &c. *ergo.* Increpet te Deus Satan, increpet te Deus! *Imo et alii sunt de isto grege, qui scripserunt Calvinistarum religionem multo deteriorem esse papisticā; imo eosdem pejores esse* Iudæis, Ethnicis, Turcis. *Hæc illi*; sed maxime me miseret et pudet nostræ cōditionis, quoties ad hoc, in mentē venit illud Adami *Contzen Iesuitæ. Si quisquam Lutheranorū libros Eristicos cōtra Calvinianos, vel illorum contra Lutheranos legere velit, non hominum in homines invectivas esse, sed dæmonum contra dæmonas furores et rugitus esse persuadebit sibi.* Deinde ubi est fervor, ibi est tumor, qui superbiæ symbolum est, quam esse erroris individuam Comitem clamat omnis sæculorum experientia, apparuit olim in *P. Samosateno, Ario, Pelagio* &c. De hæresi intumescente sic Chrysost. *hanc arborem hæresios nec Paulus plantavit, nec rigavit Apollos, sed plantavit superbia, rigavit invidia.* Quantum intumescat Societas Iesuitica testabitur fastuosa illa *Bonaldi* Iesuitæ vox admirabilis, de qua arrogantiæ plenior sit, an falsitatis, haud facilè dixeris. *Jungantur in unum dies cum nocte, lux cum tenebris, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita cum morte, et erit tum spes aliqua posse in caput Jesuitæ hæresin cadere.* Nec minus ridiculum est quod de Paracelso refert *Hoornbek*. Comm. p. 9. *Stultissimum occipitii sui pilum plus scire quam omnes Galeni Sectatores, et ipsius barbam plus experimentorum habere, quam omnes Academias.*

subdo his fanaticis ipsorum principem *Weigelium* qui scientiam ac eruditionem suam venditat *Pansophiam. panepistemon; Encyclopædiam omnium scientiarum, verbum perfectionis: studium meum universale, quod addiscere tenentur omnes, si modo æternum vivere et salvari cupiant vide conf. Weigel. c.* 6. Panis denique fermentati sapor ex acido et salso, appetitum irritat, facitque ut arrideat palato, talia sunt plerumque errorum lenocinia. Veritas divinitatem spirat, humanum sapit et promovet Heterodoxia: ad quod apposité Ios. Scaliger. *Omnium malorum literas esse nisi modestia et humilitas refrænet, hac se quam illis clariorem esse malle.* Experimentum faciamus in primipilis hujus sæculi hæresibus et hæresiarchis. Annon omnino concinnatus est *Socinianismus* sic, ut *rationi humanæ* hoc det, quod sit in rebus fidei Iudex. *Remonstrantismus* sic, ut *humano arbitrio* proram et puppim salutis assignet? Annon *Papismus* sic, ut in negotio salutis ac mediorum eo tendentium nimium, quam par est, *sensibus humanis* quos summo apparatu demulcet, attribuat? *Libertinismus*, qui nimium humanis affectibus abblanditur, quibus fræna laxare solitus est? Hæc κατ' ἀϛοιν

Quæ verò cordicitus suaserim sunt ista. 1. Ut tanquam fortes et invicti Christi Athletæ semper pro *veritate* sitis, stetis, dimicetis. O quam hæc appetenda, exosculanda et amplexanda, quæ conformitas est suo exemplari, quæ secum est perpetua congruentia, synceritasque semper eadem! O quam lugendum quod propheta dicit Esa. 59. 14. *veritas in plateis corruit*, nos querimur eam in conclavibus, in scholis, in templis cecidisse! *Christianus* es? Sis inter adoratores qui adorant Deum in spiritu et veritate, *Scotus* es? vis esse patriæ ac religionis amans, nulla est magis compendiaria via, quam per *veritatis* exercitium. Væ tum Scotiæ, siquando hujus *veritatis* inops fuerit. Sed væ genti hypocriticæ, cujus ita sunt res comparatæ, ut nihil uspiam hic videatur boni et veri, absque aliquo sui Idolo, et imagine fallaci. Solem parelius, astra stellæ-cadentes, Margaritas adulterini lapides imitantur: doctrinæ sophistica larvam induit, pietatis hypocrisis, *veritatis* fucus, *ideo sumus populus excandescentiæ divinæ* Esa. 10. 6. *Academicus* es? et eo loci educatus, ubi omnes se studiosos profitentur et veritatis indagatores, annon ea vobis *veritas* maximi æstimetur, quæ salvos et beatos constituit? Memorabile est illud Platonicorum, si Deus admitteret compositionem ex anima et

corpore, procul dubio fore, *ut lucem pro corpore, pro anima veritatem assumeret.* Nobile est illud *Mirandulani* dictum *veritatem philosophi quærunt, Theologi inveniunt, Religiosi possident.* Nemo enim ad eam veritatis possessionem, quæ nos cœlo inserat, perveniet, nisi post vitam in orbita veræ religionis sincerè peractam. Quâ sic transactâ, *Hieron.* interpretatur locum illum prophetæ, Esa. 26. 2. ac si verba essent Christi ad Angelos de cœlo reserando. *aperite portas et ingrediatur gens justa* veritatem *custodiens.* Sed hic narrabo memorabilem ex Sozom. l. 3. c. 13. historiam *Pachomii Abbatis inter veteres celebratissimi, qui cum præficeretur mille trecentis Monachis studiosis, atque illos in viginti quatuor classes divisisset, secundum numerum literarum Græci Alphabeti, sic ut qui in singulis forent classibus, ab una eademque litera nominarentur, qua quantum fieri potuit, eorum mores indicaret, adeo ut simpliciores nominarentur* Iota, *quâ literâ nihil est simplicius cum unâ lineolâ rectâ constet, vafri autem quibus animus erat involutus, ut non facile internosci possent et pervideri, dicerentur* ζ *vel* ξ, *quod ea litera sint tortuosa, et anfractus multos habeant, qui apte eorum exprimerent ingenium.* Si nobis (inquit *Arrowsmithus*) eadem ineunda esset ratio in dispescendis, qui Christianam profitentur Religionem, utique verendum est fore, ut quam plurimis inter literas anfractuosas locus merito deberetur. Hoc vos permoveat ad sectandam exercendamque veritatem hanc Theologicam. Succincti state balteo duplicis veritatis, veritas illa qua intellectus cingitur est *orthodoxia*, et errori opposita est; quâ voluntas ea cordis integritas, quam sinceritatem appellamus, et hypocrisi, e regione stat. Itaque secundo cum sit summa συζυγία inter veritatem et pacem, sitis inter vosmet pacifici et concordes. Cum IEHOVA noster sit Deus pacis, Mediator noster princeps pacis, Scriptura nostra Evangelium pacis, sitis filii pacis, urgeo nomine Dei ac verbis *Pauli. Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes et non sint inter vos dissidia, sed sitis impacti eadem mente, et eâdem sententiâ, 1. Cor. 1. 10. et ad Rom.* 16. 17. *Precor autem vos, ut observetis dissidiorum et offendiculorum auctores, contra doctrinam quam vos didicistis, et declinetis ab eis.* Imitemini *Bernardum* fratres in se offensiores sic alloquentem *adhærebo vobis etiamsi nolitis, adhærebo etsi nolim ipse: cum turbatis ero pacificus.* Imitemini *G. Nazianz.* Qui cum lis coram Synodo orta est, idq; de suo Episcopatu, dicitur hanc ad patres in unum coactos orationē

habuisse, *viri, inquit, gregis sumus compastores, turpe est, et nequaquam nostrum, qui pacem docemus, bella inter nos gerere. Per ipsam vos Trinitatem oro, ut omnia pacificè transigatis; sin autem ego schismatis causa, ego si* Ionas *ille sim, projicite me, fultis in mare, ut tempestas desaeviat; Cathedrâ private, ab urbe pellite, facite demum quodcunque visum vobis fuerit, modo pacem velitis et veritatem una diligere, sicut monet propheta Zacharias.* O spiritum verè Evangelicum! Nam pax et veritas in scholis et Ecclesia habent se ut venæ et arteriæ in corpore naturali: veritas subministrat illi succum et sanguinem, pax spiritus quasi vitales subministrat. Sed cave ne dum venam prudens aperis, arteriam imprudens scindas; ne pacem violes, dum propinas veritatem. Sed pax illa, cujus cum bono Deo, tandem futuri estis nuntii etsi ab omnibus laudetur tamen a paucis servatur. O te miseram Theologiam, O nos infelices qui tuis initiamur sacris! Ea siquidem tempora redierunt, *facta est fides temporum, potius quam Evangeliorum, et dum alter anathema alteri esse cœpit, propè jam nemo Christi est.* Sic *Hilari*⁹ ad Cōstantiū de eis, *Optatus* etiam ad Donatistas, *vos dicitis licet nos dicimus non licet; inter licet vestrum et non licet nostrum nutant et remigant animæ populorum,* In tantum prævaluere horrendæ dissensiones nostræ modernæ, ut nullus sit apex fidei quem controversiæ non fœdarunt, nullum caput religionis Christianæ quod alicujus hæreseos lepra non invasit. Hic *appellat evangelium* ut veritatem expellat. Alter *furem prædestinatum* adunco, quod aiunt, naso suspendens, Paulinæ interim prædestinationis furtum et rapinam meditatur. Tertius, dum synodum Westmonasterii habitam *toto cœlo errare* contendit, *errat ipse toto tartaro.* Quartus *redemptionem redimere conatus est,* sed quo pretio? ipsius nempe *electionis reprobatione,* et ipsius gratiæ reditu in ingratiam. Sed me reprimo, infinitum esset, singula si numerem. Multa sunt nunc paradoxa de quibus præstat tacere, quam pauca dicere; nisi illud poetæ subdo, μαμμόσι α'πισ-ῶν, α'φθρα ταῦτα φςονῶν. Vos studete *servare unitatem spiritus per connexum pacis. Unum est corpus, et unus spiritus, sicut et vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnes, et in omnibus vobis. Ephes.* 4. 3. 4. 5. 6. *sit ergo pax Dei gubernatrix.* (βραβευέτω) *in cordibus vestris, ad quam etiam vocati estis in unum corpus, Col.* 3, 15. Adsit vobis omnibus concordia sospes germana comitata fidem, sua vulnera

ridens

sidens. Tertio, moderata suadeo omnia. Nam ut ex una, horreo *paucular dormitationes et manuum complicationem*: sic ex altera memineritis quod moderata durant; per partes, inquit *Seneca*, pervenitur ad totum. Deus ipse in sua Repub. festa profestis variavit: certas horas quieti et refectioni, certas labori et operi destinavit, nec vult ut vel corpus labore nimio, vel anima nimiâ conficiatur contentione. Quarto, ut professorum latus sæpius, sed ordine claudatis aut consulendo aut conferendo, si qui scrupoli hæreant, ut eximantur, sed hoc prudenter fiat, h. e. in tempore, ac sine pertinacia: nam nihil eis gratius evenire potest aut debet, quam si animum discendi cupidum in vobis prospiciant, ac lumen de lumine suo possint accendere. Quinto, ut antequam ad practica accedatis, theoreticis ac principiis Catecheticis et doctrinalibus probè instructi ac communiti sitis, his enim minus vel delibatis, vel non dextrè jactis, quicquid superstuitur, arenosum erit, notum illud, ——— *tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant*. Procul tamen ab eo sim, ut velitis consenescere in merè theoricis, practicæ penitus imperiti, hic sit scôpus præfixus ultimatus. Quid est suada in ore, at gratiæ nihil in fibris? ut aliquid habeas lucis, fervoris parum? scientiæ multum, conscientiæ minus? plus disputationum, minus plerumque sanctimoniæ? hæc jungite sed ordine debito servato. Libeat vestrâ patientiâ huic aliquantisper immorari, nec, quod credo, sic tempus disperditum iri. Cum κατασκευῆ veri, prior videatur τῇ ἀνασκευῇ falsi, primas in studiis vestris daturi estis locorum Communium didascaliæ. Nam cum quælibet ars et scientia habeat communes thematum sedes, ad quas, quæ singulis congenera sunt, apto dispositionis ordine revocantur; non mirum ergo, si disciplinarum omnium Regina Theologia, suis etiam peculiaribus gaudeat locis: et quo res Theologicæ augustiores, hoc ipsorum sedes locorum dignior habetur. Cujus loci communes rectè dicuntur ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων. Hi sunt illa παρακαταθήκη, cujus ad *Timotheum* meminit *Paulus*; et thesaurus ille, ex quo scribæ in regno cœlorum edocti, nova et vetera proferre norunt. Hic est ille hort⁹ spiritualis, in quo artificiosissimis areolis, dissitas distinctas cernere licet florentissimas doctrinæ cœlestis herbas. Hoc Apiarium Theologicum, in quo certis favis et velut cubilibus reconditum mel cælèste reperitur. Ut prætercam quæ de horum ortu sunt in V. T. Ioh. Baptista Christi servatoris

prodromus in N.T. Resipiscentiâ et remissione peccatorum rem totam est complexus. Quæ capita pari brevitate repetiit dominus ipse, legem totam duobus præceptis comprehendens, summamque Evangelii in aureolo illo; *sic Deus dilexit mundum* &c. Apostoli, quæ doctrinæ rudimenta Catechumenis suis instillarint, ad Heb. 6. docetur. Ab horum excessu cum invalescentibus hæresibus laborare vehementer doctrinæ puritas inciperet, tum symbola illustriora quatuor, Apostolicum, Nicænum, Chalcedonense, et Ephesinum, ceu fidei catholicæ brevicula, condita sunt. Patres quoque Græci et latini, asserendæ zelo veritatis excitati, alii certos quosdam locos, diligenter et ex usu Ecclesiæ pertractarunt, alii universos continua serie explicarunt. Ex his *Clemens Alexandrinus* octo libros Stromatων scripsit. *Origenes* quatuor περὶ ἀρχῶν condidit. *Lactantius* septem concinnavit divinarum Institutionum. *Gregorius Nazianz.* quinque libros de Theologia magnâ industriâ evulgavit elaboratos. Et patrum omnium Coryphæus *Augustinus* suos de doctrina Christiana, in hoc genere libros, nec non aureum illud Enchiridion nobis reliquit. *Ruffinus* expositionem symboli. *Theodoretus* θείων δογμάτων ἐπιτομὴν dedit. *Ioh. Damascenus* circa idem tempus in Ecclesiæ lucem emisit libros quatuor περὶ τῆς ὀρθοδόξης πίστεως. In quo numero, sunt *Prosperi* sententiæ, et novum illud quod subiit Theologorum genus ab hac potissimum arbore laureas et adoreas suas decerpere voluerunt; in suis sententiis, commentationibus, conclusionibus et summis. Denique hac ultimâ Ecclesiæ è tenebris Papatus assertæ periodo, sūmi in re Theologica viri, purioris Theologiæ Locos magna soliditatis, perspicuitatis, et methodi laude elaborarunt. Ex quibus primas *Melanchtoni, Calvino,* ac *Martyri Zacharias Ursinus* Theologus Iudiciosissimus deferebat his verbis. *Philippus ocreas mihi induit, Calvinus me equo imposuit, Martyr calcaria addidit.* Et cum horum locorum in scholis Theologicis enarratio, non recentis sed veteris, non abrupti sed semper in eis continuati instituti, manifestissime arguet insignem ipsorum usum: Plene namque informant Iudicium hi loci Theologici omnem in partē, primò ad intelligentiam scripturarum, absque qua clave, clausa sunt earum penetralia, nec possunt ἐναντιοφανῆ conciliari: deinde apprimè utiles sunt ad controversiarum dijudicationem, in quibus si vera falsis attexantur, si heterogenea cum homogeneis confundantur, nullum

lum majus præsentiusque remedium est, quam quod a locis communibus proficiscitur, nam illi dextrè intellecti dogmatis cujusque naturam non mancam mutilam ve, sed omnibus numeris absolutam exhibent. Hisce vel mediocriter tinctus, non dicam largiter irrigatus, etiam primo mentis intuitu cernit quid verum, quid falsum, quid ambiguum, de eisque pronuntiat, affirmando, negando, distinguendo: cum ex eis habeat αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ad discretionem boni et mali. Exemplum ex una hujus prodeat phœnix ille Germaniæ reformatæ, Philippus quo nemo felicius cum Pontificiis in controversiis disputavit, errorum fontes solertiùs aperuit, vel ipsorum firmamenta solidius convellit: hoc vero non est aliunde consecutus, quam quod dextrum beneque formatum a locis Theologicis Iudicium ad controversiarum Theologicarum cognitionem afferret. *Andreas* contra *Osiander* (ut bene notat *Altingius*) quem novæ sectæ affectatus principatus nobilitavit, quia αὐτοδίδακτος nulliusque scholæ discipulus, communes Theologiæ locos non aliter tenebat, quam sibi eos præfidentis ingenii varietate ipsemet finxerat, quantum hic altero inferior? quam crassè ac non semel in ipsa ὀρθοδοξίας fundamenta impegit? quibus turbarum motibus jam ante plus satis distractas Germaniæ Ecclesias implevit? idem in modernis Anabaptistis, Libertinis, Fanaticis ac plerisque etiam nostris Neophytis videre est, qui cum tam necessariâ cognitione destituuntur, in controversiarum Theologicarum disputatione quasi scotomate perculsi caligant, eoque augendis exasperandisque, quam minuendis aut mitigandis litibus aptiores sunt. Denique tertio ad applicationem doctrinarum, nunquam summam integræ doctrinæ ordine et perspicuè aliis proponet, qui ipse eam non didicit. Nunquam de singulis Religionis capitibus disseret absque erroris periculo, qui capita ipsa sigillatim non comprehendit. Nunquam etiam dextrè ad Ecclesiæ in fide et vita ædificationem applicabit, qui ipsos applicationum fontes non habet quam exploratissimos. Hic idem *Altingius* asserit se scire non postremæ notæ Theologos, qui hoc nixi subsidio, etiam ex tempore summo cum omnium applausu dixerunt: nimirum quia præpetis ingenii alâ locorum suorum domicilia percurrentes, eam rerum vim congestam ante atque repositam invenere, ut docentes verba citiùs quam res destituerent. Non ergo primo cum *Thalete Milesio* sublimia sectemini, et in scrobem pedibus ex-

M positum

positum incidatis, h. e. in Religionis principia prima, ipsis etiam alphabetariis nota, turpiter impingatis. Non ego Censuerim Iuventutem Theologicam bellorum Theologicorum studio immergendam, nisi ante, non dico præcipuorum sanæ doctrinæ capitum rudimentis, sed solidis omnium ac singulorum fundamentis firmamentisque præmunita fuerit. Par est ergo ut Theologiam Elencticam subjungatis didacticæ. Omnes autem Didascalias quas hauriatis ex doctiss. et orthodoxorum *Musculi, Bezæ, Hyperii, Polani, Tileni, Alstedii, Altingii, Maresii, Leydensium, Wendelini* et similium, transferte ad usum practicum et salutarem, ut sic suo tempore sitis exemplaria gregis, cui deservituri estis, vestram qui optant, expectant, sperant opem. Messis multa est, operarii pauci, incujus exitium quid non machinatur Satanas? Quæ non hæresium zizania, dissidiorum semina, offendiculorum saxa serit! Quocunque vertatis oculos, tristis rerum aspectus, caligantibus etiam luminibus sese offert. Heu quam ἑτεροδοξίας veneno varia infecta membra (subductus est salvificæ doctrinæ succus vitalis,) alia flaccessunt, alia putrescunt, alia decidunt. Germania concutitur, fatiscit Gallia. nutat Belgium. Britannia, turbatâ harmoniâ quasi ruis. Novus ab Oriente vel meridie *Arius, Pelagius* a septentrione Redivivus; Truculentus ab occidente in media jam viscera incumbit Antichristus. Fuga adornanda est, deserta repetenda, sylvæ, cryptæ, speluncæ subeundæ. Itaque vos qui filii estis prophetarum nunc discite (nam non semper erit occasio discendi) fidelem illum sermonem, qui ad doctrinam facit, ut et exhortari sanâ doctrinâ et contradicentes possitis refellere. Demonstrate, temporibus tam Luctuosis, vos non terræ sed cœli filios. En me in hac palæstra vobis non tam ducem quam commilitonem adjungo, hoc de me professum, nihil tam volupe fore in vita, quam si hos lacertos, in hoc plus quam præcipiti ætatis meæ decursu, vestro cōmodo languescere, consenescere, contabescere, emori conspexero. Sed ultimo præ omnibus *quærite ex libro Jehovæ, intenti estote lectioni, Scrutamini Scripturas*, sic enim reddamini *sapientiores Inimicis, intelligentiores doctoribus et prudentiores senibus, ut est ps.* 119. 98.99. 100. Divinorum oraculorum dignitatem quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua veneratione deosculabimur? majestas styli cœlitus delapsa, veritas omnibus numeris absoluta, eloquētiæ scaturigo, sanctimoniæ ubertas Sp. Sancti vis

efficacissima

efficacissima, et materiæ sublimitas, omnia hæc nos in admirationē sacrarum literarum rapiunt, ultra omnes quas concipere possumus laudes et dignitates laudabiliorum præstantiorūque. Hæc nimirum est illa suada, quæ elatos deprimit, fractos erigit, molles ad industriam irritat, meticulosos ad subeunda pericula incitat, inscios ad consilia ineunda invitat, salebris, senticetis, et labyrinthi angustiis implicitos perfacilius extricat, liberatque. Quid plura? mœstitiâ pene obrutos refocillat et lætabundos efficit; ——— Si quæ debentur scripturæ Encomia perpendamus, paradisus est, in qua duæ succrescunt arbores primariæ, hæc scientiæ, illa vitæ: Animarum *Cynosura*, veritatis *Acropolis*, et pietatis *Gazophylacium*: semen est quo renascimur Christiani; lac quo nutrimur infantes; cibus est, quo adulti pascimur; vinum quo infirmi refocillamur; medicina qua sanamur ægroti; machæra Sp. Sancti, qua defenduntur milites Christi, quâ et fugantur nostri hostes; facessat ergo *Bellarmini* audacia venditantis non scripta, *Scepticorum* curiositas, et *Enthusiastarum* somnia, ultra quod scriptum est tentantium. Doctrina omnis quæ ista rupe innixa est immobili, perflante licet Euroclydone, Turbinum, procellarum et fluctuum plusquam decumanorum ingruente copiâ, inconcussa nihilominus remanet perquam stabili incumbens fundamento. Utinam in hisce fodinis magis magisque indies desudaremus, hujusque *Heliconis* liquores frequentius epotaremus utpote sacrarum literarum *Helluones* evasuri. in vita *Musculi* legimus sæpius dixisse eum. *Visne esse bonus Theologus? Cura ut sis bonus Biblicus.* Hujus rei rationem suppeditat *August.* l. de doct. Christiana, *nam quicquid homo extra scripturas didicerit, si noxium est hic damnatur; si utile hic invenitur: et cum quisque ibi invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit. Et ante eum Tertullian. de res. carn. adoro scripturarum plenitudinem, per quas revincibiles sunt ipsæ hæreses.* Itaque ut debito tempore, ac Deo vocante, possitis scripturam fideliter, nervosè, perspicuè et solidè evolvere ac interpretari, proponite ipsam ut judicem credendorum, faciendorum, ac petendorum, pariter et normam. Nam ut ait *Gerson. liberiùs, puriùs, veriùs, et citiùs exquiritur veritas et falsitas reprobatur, dum constituitur sola lex divina Iudex.* Sed ut hoc vobis applicetur. Utinam de quoque vestrum hoc dicamus ex certa scientia, quod de *Timotheo Paulus.* 2. Tim. 3. 15. *teque a puero S.*

literas novisse. Verbum enim Dei, pedibus est lucerna, vitæ regula, clavis cœli, animæ pabulum, speculum sacrum, mentis Medicina; Lydius ille lapis, quo adulterinum a puro puto dignoscitur auro. Hoc est malleus ille, quo heterodoxas hominũ Opiniones, nullo conterimus negotio. Hoc in adversis solamen, in secundis moderamen. ——— Pietatis altor, adolescentiæ Doctor, ætatis denique ingravescentis Ductor. Lex hæc illa perfecta, vera, syncera, perpetua. oculos illuminans, cor lætificans, convertens animam, melle dulcior ac auro prætiosior. *Ps.* 19. 7. &c. ——— Qui jam estis ætate vigenti, florida, amabili, quibus ingenium perspicax, animus promptus, memoria tenax, quorum corpora valentiora, lacerti vegetiores: vestrâ inquam interest, vires omnes, medullas, acumen, id omne quod sic, imo totum quod sic, Deo deberi adeoque consecrandum: ut quicquid temporis habetis huic impendēdum; *O quam diligo legem tuam, toto die est meditatio mea!* Ps. 119. 97. sic enim eritis boni Christi milites; memineritis illius Apostoli Ioh. 1. c. 2. 14. *scripsi vobis, adolescentes quia validi estis, et verbum Dei habitat in vobis, et improbum illum vicistis.* Si validi milites nunc tandem victores evasuri, recte notat *Arrowsmith.* militis Christiani 1. esse, *hoc agere* 2. *Tim.* 2. 4. 2. imperatoris signo ac nutui morem ut gerat, 3. in acie ordinem servare, *ὀρθοποδεῖν πίστει καὶ τάξει ἀρίστῃ.* 4. In pugna fortiter dimicare, *ἀγώνιζε τὸν καλὸν ἀγῶνα πίστεως.* Non est itaque quod tempus omni pretiosius auro, (vix ullo nedum exiguo redimendum) in malis conteratis nugis, minutiis, quisquiliis, vel λογομαχίαις. *Memineritis ergo Creatoris vestri in diebus juventutis vestræ.* Nunquam animis vestris excidat, elabatur. Si jam sciretis, quod forsan postea experiamini, quot mala et incommoda senem circumveniant, *cui pallor in ore sedet, et macies in corpore toto.* Tum *nunc sobrii nunc vigiles* essetis; senectus solet esse deformis, infirma, obliviosa, edentula, indocilis, molesta et morosa. Et quidni? nam caligant oculi, cespitant pedes, contremiscunt genua, manus sunt paralyticæ, obrigescunt artus, labascit memoria, hebescit ingenii acies, pulmones, spiritus, sanguis, medullæ, cum sensus interiores, tum et exteriores deficiunt, viribus omnibus animi et corporis avolantibus. Quanto enim sunt sibi aliisque oneri magis, præsertim cum tussis, podagra, calculi dolores, aliorumque complurium malorum *Iliades* ipsis ingruunt, tanto magis inepti et inhabiles sumus ad munia obeunda

ulla

ulla, sive privata sive publica. Apage ergo illud, *Cras te venturum &c.* Si ætatis tenerrimæ lanugo, si ipsissima in fasciis vagiens infantia Deo dicata sit, quod cernimus, *in Samuele, Iosiâ, Timotheo, Edwardo VI.* tum florida, honorata, coronata esset senectus nostra. In *Tartara* redeat Diabolicum illud proverbium *Angelicus Iuvenis Senibus Satanizat in annis.* Docet *Keckermannus* institutum fuisse senatum Areopagiticum Athenis, huic diverbio præcavendo nempe ad præcisionẽ causarum, mediorum, et occasionum, quibus proritari solebat Iuventus Academica, ad varia vitia: at nos firmiorem habemus sermonem propheticum; eum nempe Ps. 119. v. 9. *Quomodo purificabit adolescens viam suam? observando eam secundum verbum tuum.* Quod verè medium est tum illuminandi, tum purificandi, tum et dirigendi, ut in hoc præsẽti sæculo vivamus εὐσεβῶς, σωφρονῶς, καὶ δικαίως: macti ergo observatione istâ religiosâ, macti virtute omnigenâ, macti pietate in Deum syncerâ, macti charitate in proximum operosa, macti eruditione laudabili, macti amore et favore in Academias reformatas, *At nunc quid aliud restat, nisi ut ab hortationibus ad precationes provoluti in genua revertamur, divinam implorantes majestatem, omnes ut semitas nostras secundum verbum suum complanet et dirigat. Ut dignetur quæ Deo non indigna dicta sunt, ista ut tabulis cordis insculpantur, imprimantur, ut sic verbum suum custodiamus; quo tandem perveniamus ad ipsissimum beatitudinis fontem, facie ad faciem sanctam et individuam Trinitatem, in æternum contuentes, ubi nunquam peccabimus, nec dolebimus ulterius. Faxit Deus Opt. Max. ut vincat veritas, errorum dissipentur nebulæ. Christi Regnum magis magisque efflorescat indies, Satanæ vero illud eat pessundatum, hæreticorum aperiantur oculi, aut serio pœnitentiam agant, aut pœnas luant quas demeruere gravissimas. Ad quod Cœlestis Pater, faxis quæsumus, ut temporibus tam luctuosis agnoscamus nosmet in terris esse viatores et peregrinos, quo minus hujus mundi illecebris irretiamur, et insidiis illaqueemur, ne cibum periturum anxii nimis ac solliciti quæramus, nec vel artes et scientias emorituras plus nimia venemur indagine: atqui præ omnibus Christum spirare, ejusque cognitionem assequi, pro summis viribus enitamur. Quantillum est scientia Christi quam scimus, præ illa quam nescimus, defectus sane fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, veræ cognitionis Christi persentiscimus quam plurimos gemibundi. Nam per ænigma et tanquam in speculo, dum in terris degimus, contemplamur omnia. Floreat Orthodoxorum Corona, per Dei Omnipotentis*

 brachium,

[illegible] vobis. Dum [illegible]
[illegible] Semper Academici memoria [illegible]
[illegible] Deo [illegible] esse consecrandas [illegible]
[illegible] omnis scientiae ac sapientiae [illegible] hoc [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] sordes, [illegible] scelera, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] pro
[illegible]
[illegible] posteris [illegible]. [illegible]
[illegible] Deus [illegible] pro [illegible]
[illegible]
[illegible] Dei. Non
[illegible] vigilancer, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Amen [illegible] quod in
[illegible] gloriam
[illegible] per [illegible]
[illegible] Christum. Amen.

FINIS.

Errata [illegible] sic corrigenda.

Pag. 2. Lin. 4. Lege [illegible]